This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Mat. 1286

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

900000070766

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Cath 1288

ERYCI PVTEANI

DE

BISSEXTO

LIBER:

NOVA TEMPORIS FACVLA,

QVA

INTERCALANDI ARCANA, HACTENVS OBSCVRA,

ILLVSTRANTVR.

Accedit DIERVM apud Indos DIORTHOSIS.

Ad PHILIPPVM IV. *Hispaniarum & Indiarum Monarcham.*

Bibliotheca B. Mariae de Baudelo Gandavi.

1147.

LOVANII,

APVD CORN. COENESTENIVM,

ET GEORGIVM LIPSIVM. M.DC.XXXVII.

Digitized by Google

Baudelo.

Digitized by Google

PHILIPPO IV.
REGI CATHOLICO,
HISPANIARVM ET INDIARVM
MONARCHAE,
ERYCIVS PVTEANVS D.C.Q.

IAM ABENTIS annus sæculi impletus trigesimus sextus suo me numero quasi admonet, REX MAXIME, quantum hactenus temporis in vitæ referre rationes decreat; quæ fructu rectiùs quàm spatio expenduntur. Non igitur quando esse inter homines cœpi; sed quando prodesse, computo: quasi amplius in annis triginta fuerit, quibus vixi, quam in sexaginta tribus, quibus fui, inveniam. Qui publici, proprie mei sunt: qui mei, obsequio potissimùm Regio æstimandi. Hi

Digitized by Google

me exorbitantem, ad lineam redegit, BISSEXTVM instituit, & Solem è cælo in terram deduxit. Mysteria hæc profectò temporis sunt: sed obscurata postea, & nube noctéque Antiquitatis impedita: digna, quæ Austriaco nunc auspicio novam sideris usuram recipiant, novum sidus. At ego FACVLAM nominare ausus sum: quæ lucere tamen non potest, nisi tuo lumine, & à Te quasi Sole accendatur. Accendatur igitur, luceat, & Diem ostendat, à quo nox omnis fugiens evanescat. Diem Vnum, Bissextum, Intercalarem. Vnum, reliquorum ducem & regulam: Bissextum, anni Bissextilis caussam & originem: denique Intercalarem, Fastis apud Indos adhuc laborantibus extraordinarium. Hæc nova Majestati Tuæ materia gloriæ struitur, nova veræ Coronæ temporis, per tempora omnia du-

ratura.

Digitized by Google

ratura. In Anno menſes, in Die horæ plenis igneiſq; radiis vindicandæ ſunt. Niſi annus tuus ſit, mundus coarctabitur; niſi Dies, annus laborabit. Tantò anguſtior hominibus circuitus terrarum futurus eſt, quantò minus tempore quàm imperio complecteris. Vale, vive, REX MAXIME, & hoſtes ubique vince, virtute, fortunâ, gloriâ! ſubditos ubique bea, pace, otio, ubertate.

AD AMPLISS. ET CLARISS. V.

ERYCIVM PVTEANVM,

CONSILIARIVM ET HISTORIOGRAPHVM R.

DE BISSEXTO

NOVAM TEMPORIS FACVLAM

EDENTEM.

Hactenus humana Te terrenaque ſorores,
Quas regit è cerebro nata Minerva Iovis:
Regnorum Hiſtoria, monumenta volubilis ævi,
Vertere perpetuo quæ ſolet orbe dea:

Digitized by Google

Et pristi ritus primaque arcana Suidæ,
Quæ tabulis passim sunt adaperta tuis;
In terris, & humi, tantum si dicere fas sit,
Detinuêre equidem sat, PVTEANE, *diu.*
Nunc juvat in cælos semel exerrare patentes,
Ingeniique aurâ liberiore frui.
Et mensum Solis Majores, ire meatus,
Lunaque quam vario limite cingat humum.
Pandere BISSEXTI *quoque tot mysteria, Phœbi,*
Quæ lumen tenebris occuluêre novis.
Quæq; Dies INTER *fuerit lex certa* CALANDI,
Aut quis in Augustum venerit error opus.
Et veluti magnis agitatur legibus Orbis,
Quem videt in positum vertice quisque suo;
Curriculo, spatiisque datis frenare vagantem,
Vnus ut in terris qui sit in axe dies.
Hæc Tibi debebunt seri, PVTEANE, *nepotes,*
Et referent: Cælo mens ea nata fuit.

F. IO. RIVIVS, Ord. Eremit. S. Augustini, S. Scripturæ Lovanii Professor.

MINVTA ISTA;

SIC TAMEN CORRIGENDA.

Pag. 6, lin. 8, *Vesta.* 8, 15, *Intercalationi.* 17, 13, loco 49, 40. Denique 124, 14, *Sacra.*

Digitized by Google

ERYCI PVTEANI
DE
BISSEXTO
LIBER:
NOVA TEMPORIS FACVLA,
QVA
INTERCALANDI ARCANA,
HACTENVS OBSCVRA,
ILLVSTRANTVR

CAPVT I.

Operis designatio. Annorum annus BISSEXTILIS: *à Cæsare ordinatus: errore exiguo, beneficio magno. Diem, sed* BISSEXTVM, *& formam & faculam anni esse; annum, diei.*

NON statim omnia, quæ scitu pulchra, usu necessaria sunt, aut hominis ingenio, aut artis compendio perfici, tarda ubique rerum ac scientiarum maturitas ostendit. Tempore opus, ut vel ipsum, in quo sunt omnia, Tempus cog-

Digitized by Google

pus cognoscatur; annis multis, ut unus præcipuè, quem INTERCALAREM, Plinius, passim omnes BISSEXTILEM appellant. Hunc ne quidem scire totum potuit, qui instituit: vel ideò, quia instituit, unus instar omnium; C. IVLIVS CÆSAR, naturæ quodammodò modum *capace omnium quæ calo continentur sublimitate*, ut cum Plinio dicam, excedens. Homo tamen fuit, errare potuit: magis etiam, cùm Fastos, quàm cùm Rempublicam ordinaret. Etenim anni vitia Romani novâ intercalandi ratione correcturus, commisit ipse, vel certè neglexit, quod à posteris tandem esset corrigendum. Excessus fuit temporis, sed exiguus, undecim quotannis in Solis periodo definiendâ quasi scrupulorum; notari cœptus, postquàm cumulatus error, relictis à tergo Solstitiis Æquinoctiisque, ad plures etiam dies computationem protrusit. Sed tanti erat, errasse Cæsarem; ut emendatâ nihilominus apud Rerum Dominos, & sic apud reliquos ferè mortales, ratione temporum, DIES INTERCALARIS, sive BISSEXTVS, & ex eo ANNVS BISSEXTILIS nasceretur, nomine, numero, ritu, & occultâ naturæ vi tantùm non religiosus. Magna quippe temporis pars hic annus est, magna anni hic dies: quem

Digitized by Google

utrumque ut illustrem & explicem, suis adhuc tenebris involutum, novam accensum FACVLAM eo, cum fructu, ut spero, publico, aliquid intercalati, ut sic appellem, temporis, certè subsecivi, occupaturus. Sanè, ut diem intelligas, annus examinandus est; ut annum, dies. Vterque utriusque caussa, origo, forma est; mensura, modus, meta. Ex anno dies, ex die vicissim annus lucem, quam promitto, ac splendorem accipient.

CAPVT II.

Annus duplex, Solis & Lunæ: hic Romanus olim, sed diebus CCCLV. *superstitione imparis numeri computatus. Initium à Martio. Mensis Intercalarius inter Terminalia & Regifugium. Deus Terminus finis anni. Quinque extra annum dies, & tanquàm non dies, consumi soliti. Livius correctus, Varro explicatus. Origo intercalandi.*

ANNVM Antiquitas ut Lunæ aptaret, diebus trecentis quinquaginta quatuor; ut Soli, trecentis sexaginta quinque, & quadrante descripsit; in tot utrumque menses divisum, *quoties Solem*, ut Plinii verbis utar, *ad principia sua*

Digitized by Google

redeuntem Luna consequitur. Minore quidem Romani, quamdiu libertatem, corruptâ jam Republicâ, tenuerunt, usi sunt; sed dierum trecentorum quinquaginta quinque; addito è superstitione die, ut impar numerus esset, & felicitatis omen adferret. Testem Censorinum dabo, luculentæ doctrinæ Scriptorem, aureo de Die Natali libello; *Sive à Numa, ut ait Fulvius, sive, ut Iunius, à Tarquinio duodecim facti sunt menses, & dies trecenti quinquaginta quinque; quamvis Luna duodecim suis mensibus trecentos quinquaginta quatuor dies videatur explere. Sed ut unus dies abundaret, aut per imprudentiam accidit, aut quod magis credo, eâ superstitione, quâ impar numerus plenus, & magis faustus habebatur.* Pythagoram hîc notari, satis Solinus indicat, cap. 111. sed annum Solis quâ nescio hallucinatione describens: *Quadrantem illum & decem dies addiderunt; ut ad liquidum annus trecentis sexaginta quinque diebus, & quadrante constaret; hortante observatione imparis numeri; quem Pythagoras monuit præponi in omnibus oportere.* Pythagoræ enim, ejusque Sectatoribus, numerus impar mas erat; par femina; qui ex utroque compositus, ἀρρενόθηλυς, *Virofemina*. Item, impar dexter, par sinister.

Digitized by Google

siniſter: ideoque templa ingredi per loca dextera oportere, egredi per siniſtra. Imò impar vivorum, par mortuorum: ille Dîs Superis adſcriptus, hic Inferis; quemadmodum Poëta intelligendus,

---- *Numero Deus impare gaudet.*

Vt omnia dicam, cum Plinio dicam, lib. XXXVIII. cap. 11. *Impares numeros ad omnia vehementiores credimus: idque in febribus dierum obſervatione intelligitur.* Cum Feſto quoque: *Imparem numerum Antiqui hominibus proſperiorem eſſe crediderunt.* Non fruſtrà igitur, ut ad annum redeam, Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. XIII. *Numa in honorem imparis numeri, ſecretum hoc & ante Pythagoram parturiente naturâ, unum adjecit diem, quem Ianuario dedit; ut tam in anno, quàm in menſibus ſingulis, præter unum Februarium, impar numerus ſervaretur.* Initium à Martio.

Martius erat primus menſis, Veneriſq; ſecundus: quem honorem Romulus Genitori ſuo tribuit, vel morem potiùs Latii ſecutus eſt. Hanc etiam ob cauſſam Quinctilis, cæteriſque à numero menſes nominati. Feſtus: *Martius menſis initium anni fuit, & in Latio, & poſt Romam conditam: eò quòd gens erat bellicoſiſſima. Cujus rei teſtimonium eſt, quòd poſteriores menſes, qui antenum-*

Digitized by Google

num finiunt, à numero appellati, ultimum habent Decembrem. Eadem, & plura Macrobius, lib. 1. Saturnal. cap. XII. de Romulo: *Primum anni mensem Genitori suo Marti dicavit. quem mensem anni primum fuisse, vel ex hoc maximè probatur, quòd ab ipso Quinctilis quinctus est, & deinceps pro numero nominabantur.* Adjungit, *Hujus etiam primâ die ignem novum vestæ aris accendi solitum; ut incipiente anno cura denuò novati ignis servandi inciperet. In Regia curiisque atque flaminum domibus laureas veteres novis mutari. Publicè privatimque hoc mense ad Annam Perennam sacrificatum iri, ut annare perennareque commodè liceret.* Hæc ferè ex Solino. Sed ut Lunæ ratio (quod omnes conatæ gentes) cum Sole congrueret, undecim dierum defectum mense Romani Intercalario supplevêre. Itaque alternis annis nunc viginti duo dies, nunc viginti tres inserti: qui menses ἐμβόλιμοι erant, *Mercedini*, vel *Mercedonii*: an fortassis *Intercidini*? Hadrianus enim Junius, diligens rarioris doctrinæ observator, de Anno & Mensibus scribens, μερκεδόνιον ut est apud Plutarchum, in Numa, & Cæsare, in ἐντερκαλάριον commutavit. Dies quidem fuisse nonnullos, qui Mercedini, sive Mercedonii appellarentur,

Digitized by Google

rentur, è Veteri Calendario scimus, prid. Eid. Iulij, ac deinceps, ipsis Eidibus, XVII. XVI. XV. XIV. Kal. Aug.

CC MERK.
D EID NP MERK.
EF MERK.
FC MERK.
GC MERK.
H LVCAR NP MERK.

Item XII. XI. X. IX. Kal. Octob.

GC MERK.
HC MERK.
AC MERK.
BNP MERK.

Denique XIV. XIII. XII. Kal. Decemb.

BC MERK.
CC MERK.
DC MERK.

Festi quoque verba huc faciunt: *Mercedonias (dies) dixerunt, à mercede solvenda.* Hæc autem Intercalatio mense facta Februario, quia ultimo, inter Terminalia & Regifugium, post VII. Kalendarum Martii. Disertè Censorinus: *Cum Intercalarium mensem viginti duorum, vel viginti trium dierum alternis annis addi placuisset, ut*

Civilis

Digitized by Google

Civilis annus ad Naturalem exaquaretur; in mense potissimùm Februario, inter Terminalia & Regifugium intercalatum est. Terminus enim, ut rerum omnium, ita & anni meta erat; non agrorum tantùm, sed dierum quoque & mensium finis, quâdam quasi religione constitutus. Festum, Terminalia, & in septimum Kalendarum Martii incidebat, quo annus ille Civilis claudebatur. Sic Varro, lib. v. De Lingua Latina: *Terminalia, quod is dies anni extremus constitutus. Duodecimus enim mensis fuit Februarius: & cùm intercalatur, inferiores quinque dies duodecimo demuntur mense.* Accedit Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. XIII. & quid sit demi dies explicat: *Omni autem intercalatione Februarius deputatus est, quoniam is ultimus anni erat.* Mox: *Romani non confecto Februario, sed post vicesimum tertium diem ejus intercalabant, Terminalibus scilicet jam peractis. Deinde reliquos Februarii mensis dies, qui erant quinque, post intercalationem subjungebant.* Distincte, Dies quinque, & post Intercalationem; ut præcessisse mensem adoptiuum videas, inter Terminalia & Regifugium adscitum. Sed an constanti tamen lege ac ritu? Abire Livius videtur lib. XLIII. *Hoc anno intercalatum est.*

Tertio

Digitized by Google

Tertio die post Terminalia Kalendæ Intercalares fuêre. Tertio die? Equidem existimo, verbum potiùs in Livio, quàm tempus in Intercalatione mutatum. Fortè Librarius *postriduo* pro *postridie* legerit: unde natum sit, *triduo*, vel *tertio die post.* Verè igitur lib. XLVI. *Intercalatum est eo anno, postridie Terminalia.* At Varro De Re Rustica, cap. CL. Kalendas Majas videtur assignare. *Si intercalatum erit K. Majis, agnos* XXX. *ne amplius promittat.* Sed videtur: solâ hic enim distinctione locus lucem capit. Prorsus, non ad Intercalationē Kalendę Majæ, sed ad agnos referendę sunt. *Si intercalatum, erit K. Majis,* &c. Quippe si intercalatum non erit, *Kalendis Iuniis* (Varronis hæc quoque verba sunt) *emptor fructu decedet.* Ad quinque dies redeo. Erant illi, tanquàm non essent, quia extra anni metas: & Ægyptiorum more (de quo dicturus sum) per lusum & luxum, lasciviam & vitulationem consumi soliti: quasi & Romæ ἐπαγόμεναι celebrarentur. Sed ad originem intercalandi quod attinet, idem Macrobius scribit, fuisse, qui ad Romulum referrent, qui ad Numam (quemadmodum & Cicero, lib. II. De Legibus) qui ad Servium, ad Decemviros: denique, qui ad Manium Consulem,

Digitized by Google

annumque Vrbis IↃ. LXII. Fuit hic Manius Acilius Glabrio, & collegam Scipionem Naſicam habuit.

CAPVT III.

Ratio intercalandi ad Pontifices tranſlata, & mox corrupta. Menſis Intercalaris duplex: alter XXII. *alter* XXIII. *dierum, & alternis annis. Vtriuſque cauſſa, modus, uſus. Annus Ennianus dierum* CCCLVI. *Ennio lux. Intercalatio Gracorum, & quatenus ab ea Romani abirent.*

IAM in uſu apud Romanos menſis Intercalarius erat; ac deprehendi cœpit, annum Civilem aliquantò Naturali majorem eſſe. Quod vitium, ſcribente Cenſorino, *ut corrigeretur, Pontificibus datum eſt negotium, eorumque arbitrio intercalandi ratio permiſſa.* Quid factum? *Horum plerique ob odium vel gratiam, quò quis Magiſtratu citiùs abiret, diutiúſve fungeretur, aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro damnóve eſſet, plus minúſve ex libidine intercalandorem ſibi ad corrigendum mandatam ultrò depravârunt.* Breviter Solinus: *Sacerdotes plerumque gratificantes rationibus publicanorum, pro libidine*

Digitized by Google

dine suâ subtrahebant tempora, vel augebant. Et Ammianus Marcellinus, lib. XXVI. iisdem pænè verbis: *Sacerdotes gratificantes publicanorum, vel litigantium commodis, ad arbitrium suum detrahebant tempora, vel augebant.* Mantissam Macrobius adjiciat, lib. I. Sat. cap. XIV. *Nonnunquàm verò per gratiam sacerdotum, qui publicanis proferri vel imminui consultò anni dies volebant, modò auctio, modò retractio dierum proveniebat: & sub specie observationis emergebat major confusionis occasio.* Cæsare opus erat, ut tandem confusio tolleretur temporum, annusque ad sidera exactus, certâ lege ac ratione decurreret. Quid etiam? Sole opus erat, ne luxata à Sacerdotibus intercalatio, majore etiam errore deinceps titubaret. Lunæ interim annus alio alioque calculo stetit, alternâ nunc viginti duorum, ut dixi, nunc viginti trium dierum supplemento ad regulam Solis exæquatus. Si prior accederet numerus, à trecentis quinquaginta quinque, ad dies annus assurgebat trecentos septuaginta septem; si posterior, ad trecentos septuaginta octo. Sic biennia singula alterno incremento, nunc diebus septingentis triginta duobus, nunc septingentis triginta tribus computata. Ad schema venio, & nu-

Digitized by Google

meris potiùs quàm verbis ago, ut quæ adhuc dicenda sunt, compendio ac synopsi repræsentem. Vide igitur, quæ legere fortassis longum sit, & in annis viginti quatuor bis sena biennia distingue; imò in duodecim bis terna, ut bis sena conficias: quæ periodus Numæ erat. Livius lib. 1. *Intercalares menses interponendo ita dispensavit, ut vicesimoquarto quoque anno ad metam eandem Solis, unde orsi essent, plenis annorum omnium spatiis dies congruerent.*

ANNI.	MENS INT.	DIES.	BIENNIA.	ANNI.
I.		355.		XIII.
II.	22.	377.	732.	XIV.
III.		355.		XV.
IV.	23.	378.	733.	XVI.
V.		355.		XVII.
VI.	22.	377.	732.	XVIII.
VII.		355.		XIX.
VIII.	23.	378.	733.	XX.
IX.		355.		XXI.
X.	22.	377.	732.	XXII.
XI.		355.		XXIII.
XII.	23.	378.	733.	XXIV.

Anni

Digitized by Google

Anni hîc impares trecentorum quinquaginta quinque dierũ sunt: pares, alternâ intercalatione, nunc trecentorum septuaginta septem, nunc trecentorum septuaginta octo. Biennia etiam singula alterno incremento vel ad dies assurgunt septingentos triginta duos, vel ad septingentos triginta tres. Sena igitur biennia minora dies continent 4392. majora, 4398: juncta 8790; qui sunt anni Solares viginti quatuor Enniani. Ennius enim apud Censorinum, ut biennium Romanum plenè exprimeret, annos singulos diebus definivit trecentis sexaginta sex. Hic numerus bis acceptus, dies reddit 732: totidem primum biennium, ac deinceps impari loco sumptum; qui dies è 355. & 377. junctis conflantur. Ergò quemadmodum Græci, ita & Romani annum Lunarem ad Solarem revocare conati sunt. Illi quidem octavo quoque anno nonaginta dies in ternos menses distributos intercalabant, scribente Macrobio, lib. 1. Saturnal. cap. XIII. *Græci, cùm animadverterent, temerè se trecentis quinquaginta quatuor diebus ordinasse annum (quoniam appareret de Solis cursu, qui trecentis sexaginta quinque diebus & quadrante zodiacum conficit, deesse anno suo undecim dies & quadran-*

Digitized by Google

tem) intercalares ſtatâ ratione commenti ſunt; ita ut octavo quoque anno nonaginta dies, ex quibus tres menſes tricenûm dierum compoſuerunt, intercalarent. Id Graci fecerunt, quòniam erat operoſum atque difficile, omnibus annis undecim dies & quadrantem intercalare. Itaque maluerunt hunc numerum octies multiplicare, & nonaginta dies, qui naſcuntur, ſi quadrans cum diebus undecim octies componatur, inſerere, in tres menſes diſtribuendos. Hos dies ὑπεμβαίνοντας, menſes verò ἐμβολίμους appellabant. Habebat igitur ultimus annus dies quadringentos quadraginta quatuor, è trecentis quinquaginta quatuor, & nonaginta conflatos. Videndus & Solinus, qui *dies octies multiplicatos in nonum annum conſervatos* ſcribit. Romani verò, de quibus ago, alternis maluerunt annis binos & vicenos dies; alternis ternos & vicenos addere; ut è diebus octies mille ſeptingentis nonaginta, anni viginti quatuor, ut ſupputavi, naſcerentur. Adjungenda his, quæ prætèrire Macrobius noluit, loco ſignato: *Hunc ergò ordinem* (Græcorum) *Romanis quoque imitari placuit. Sed fruſtra: quippe fugit eos, unum diem additum eſſe ad Græcum numerum* (trecentorum quinquaginta quatuor)

Digitized by Google

tuor) *in honorem imparis numeri. Eâ re per octennium convenire numerus atque ordo non potuerat. Sed nondum hoc errore comperto, per octo annos nonaginta quasi superfundendos Græcorum exemplo computabant dies: alterníque annis binos & vicenos, alternis ternos & vicenos intercalares expensabant, intercalationibus quatuor. Sed octavo quoque anno octo affluebant dies ex singulis* (quia trecenti quinquaginta quinque, non quatuor computati) *quibus vertentis anni numerum apud Romanos supra Græcum abundasse jam diximus. Hoc quoque errore jam cognito, hæc species emendationis inducta est. Tertio quoque octennio ita intercalandos dispensabant dies, ut non nonaginta, sed sexaginta sex intercalarent, compensatis viginti quatuor diebus, pro illis, qui per totidem annos supra Græcorum numerum creverant.*

CAPUT IV.

Gentium annus CCCLX. *dierum. Sic Civitatem, sic Cælum aptè describi. Numeri hujus in partes suas divisio. E Senario & Denario hunc annum constitui. Romanum quoque talem fuisse: à Kalendis Martiis ad Terminalia, exclusis ἐπαγομέναις, numeratum. Retinuit veterem*

in novo

Digitized by Google

in novo Cæsar anno intercalationis locum, rem ipsam BISSEXTVM *appellavit.*

INtercalationum hæ ambages sunt, quibus verus ac Naturalis apud Romanos, Græcos, alios annus olim quæsitus. Civilem interim ad mysticam supputandi rationem pleraque Antiquitas revocavit, contractiore dierum numero, ampliore usu. Annus, inquam, velut Circulus (quod sonat) & constitutus, & divisus est; ut eadem temporis, & cæli ratio esset; totque ille diebus, quot hic partibus absolveretur: Trecentis nimirum sexaginta. Hic ille numerus est, etiam Reipublicæ regendæ, imò erigendæ accommodatus, quemadmodum Plato libro VI. De Legibus scribit: Βελὴν ἓξ εἶναι μὲν τριάκοντα δωδεκάδας: *Consilium triginta constare duodenariis.* Addit enim, *è trecentis sexaginta viris ejusmodi distributionem rite è constitui.* Præterea: Μέρη δ' διανείμαντας τέτταρα καὶ ἐννενήκοντα τὸν ἀριθμὸν. *In quatuor hunc numerum partes nonagenarias dispesci.* Nimirum, ut ratione censûs, quatuor Consiliariorum classes essent, in singulis verò nonaginta. Cæli ecce imaginem civitas Platonica habet; totumque Curia annum, quia Zodiacum, exprimit, in signa duodecim; partes verò, sive μοίρας trecen-

Digitized by Google

trecentas ſexaginta diſtributum. Sic etiam cum ſignis menſes, cum partibus dies exæquandi erant, ne vacillarent: Annus, inquam, cum cælo; ut dies partes fierent, menſes ſigna. Nullus ſanè numerus, quod notandum eſt, cælo, nullus anno aptior erat; nullus, qui in plures, ſed æquales poſſet partes dividi; nullus, qui cælo dignior erat, & ad annum veniret. Si originem ſpectes, cum ipſo videtur cælo & anno natus eſſe: ſi uſum, certè primus eſt, ſingularis, unus. Quod dico, oſtendo. E trecenis ſexagenis 180. ſume, partem dimidiam conſtitues: 120. tertiam: 90. quartam: 72, quinctam: 60, ſextam: 45, octavam: 40, nonam: 36, decimam: 30, duodecimam: 24, decimamquinctam: 20, decimamoctavam: Contrà, ſume 18, partem conſtitues vigeſimam: 15, vigeſimam quartam: 12, trigeſimam: 10, trigeſimam ſextam: 9, quadrageſimam: 8, quadrageſimam quinctam: 6, ſexageſimam: 5, ſeptuageſimam ſecundam: 4, nonageſimam: 3, trecenteſimā vigeſimam: 2, centeſimam octogeſimam: denique 1, trecenteſimam ſexageſimam. Sic igitur dividi circulus poteſt: ſic annus, quia circulus eſt, quia cæli terræque partes accepit, trecentis ſexaginta diebus uſu civili computatus.

Digitized by Google

Hunc etiam agnoſcunt numerum, qui annos mundi Primævos, ut eſt apud D. Auguſtinum, lib. xv. de Civitate Dei, cap. xi. diebus triginta ſex definiunt, è ſenario quadrato eductos. Triginta verò ſex dies decies ſumpti, trecentos ſexaginta componunt. Etenim ut rotundus annus eſſet, duodecim menſes Lunares tricenorum dierum placuêre. Dies autem triginta duodecies ſumpti, quemadmodum triginta ſex decies, trecentos ſexaginta reddunt. Verba Auguſtini ſunt: *Vnum annum, qualem nunc habemus, in decem partes illi dividebant, & eaſdem partes annos vocabant. Quarum partium habet unaquæque quadratum ſenarium; eò quòd Deus ſex diebus perfecerit opera ſua, ut in ſeptimo requieſceret. Sexies autem ſeni, qui numerus quadratum ſenarium facit, triginta ſex dies fiunt: qui multiplicati decies, ad trecentos ſexaginta perveniunt, id eſt, duodecim menſes Lunares.* Quid deinde? *Propter quinque dies reliquos, quibus ſolaris annus impletur, & diei quadrantem, propter quem quater ductum eo anno, quo* BISSEXTVM *vocant, unus dies adjicitur; addebantur à Veteribus poſtea dies, ut occurreret numerus annorum: quos dies Romani Intercalares vocabant.* Initium verò anni, ut monui,

Digitized by Google

monuì, Martiali placuit genti, quod à Marte, & Martio ſumitur: finis, qui cùm Termino Deo deſinit, & ſeptimum Kalendarum Martii occupat. Kalendarium vetus Romæ, Ad VII. Kal. Martias: F TER. NP. Imò hic dies accepit Terminum, quia ultimus erat; & amavit hunc diem Deus, quia ſuum; ut qui finis rerum eſſet omnium, anni quoque fieret, & reliqua anni feſta ſuo terminaret. Ad rem Ovidius, lib. 11. Faſtorum:

Qui ſequitur Ianum, veteris fuit ultimus anni:
Tu quoque Sacrorum Termine finis eras.

Hæc igitur Terminalia ſunt, annumque claudunt, ſed trecentis ſexaginta diebus computatum. A Kalendis enim Martiis ſi numerum ineas; trecenteſimus ſexageſimus, ſeptimum Kalendarum Martii, ſive Terminalia occupabit. Quemadmodum verò inter hunc diem & Regifugium (id enim ſequebatur) intercalari menſis olim ſolet, quem Mercedonium eſſe dixi; ita poſteà dies, anno jam Soli congruente, è quater ſenis horis, toto quadriennio collectus. Quippe *C. Cæſar Pontifex Maximus* (Cenſorini verba ſunt,) *Intercalario menſe ſublato, annum Civilem ad Solis curſum formavit.* Paucis de hac conſtitutione interjectis: *Præterea pro quadrante diei,*

Digitized by Google

qui annum verum suppleturus videbatur, instituit; ut peracto quadriennii circuitu, dies unus, ubi mensis quondam solebat, post Terminalia intercalaretur: quod nunc BISSEXTVM *vocatur.* Eadem ferè apud Macrobium, lib. I. Saturnal. cap. XIV. *Cæsar, ne quadrans deesset, statuit; ut quarto quoque anno Sacerdotes, qui curabant mensibus ac diebus, unum intercalarent diem: eo scilicet mense, ac loco, quo etiam apud Veteres intercalabatur; id est, ante quinque ultimos Februarii mensis dies: idque* BISSEXTVM *censuit nominandum.*

CAPVT V.

Apud Græcos quoque idem ille CCCLX. *dierum annus. Hoc numero Phalerei statua. Cleobuli anigma. Magis apud Persas. Tot Pellices Darii, & posteà Alexandri. Maximè apud Ægyptios: eorum menses: ἐπαγομένων μυθολογία. Rhea puerperium extra annum & mensem. Piaculum apud eosdem, intercalare: festa per totum annum circumducta.*

BENE est, aliquid hactenus lucis anno ab intercalatione, & intercalationi ab anno. Hanc

Digitized by Google

Hanc enim post septimum Kalendarum Martii, inter Terminalia & Refugium usurpatam fuisse, quod mirum erat: illum verò eodem die terminatum, mense non completo, sed abrupto, quod obscurum, ostendi; terminari autem non potuisse, nisi trecentis sexaginta diebus contraheretur. Sic Romani, & quid nisi exemplo aliarum gentium? Græcos quidem hoc numero usos, apud Nonium Varro insinuat: *Demetrius tot statuas est nactus* (ita enim hic locus legendus) *quot luces habet annus absolutus.* Nactum autem fuisse trecentas sexaginta, manifesto Plinii testimonio discimus, lib. XXXIV. cap. VI. *Nulli arbitror plures statuas dicatas, quàm Demetrio Phalereo Athenis. Siquidem* CCCLX. *statuêre: quas mox laceraverunt, nondum anno hunc numerum dierum excedente.* Amœnitatis caussâ ænigma Cleobuli adjungo:

Εἷς ὁ πατήρ, παῖδες δὲ δυώδεκα, τῶν δὲ ἑκάστῳ
Παῖδες τριήκοντα διάνδιχα εἶδος ἔχουσαι.
Αἱ μὲν λευκαὶ ἔασιν ἰδεῖν, αἱ δ' αὖτε μέλαιναι,
Ἀθάνατοι δέ τε οὖσαι, ἀποφθινύθουσιν ἅπασαι.

Est unus genitor, bis seni pignora nati:
His quoque triginta natæ, sed dispare formâ.

Namque nivem pars una refert, pars fusca colore est:

Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes.

Annum vides, Menses, Dies denique; sed Civiles, qui & noctes includunt. Novi hi quotidie sunt, & nos quoque nouos à somno faciunt; tanquàm novam quotidie vitam vigiliamque auspicemur. Persis quoque hunc annum observatum fuisse, numerus pellicum indicat, qui Dario, ac posteà Alexandro in deliciis, anno ad voluptatem computato. De Dario Curtius, lib. III. *Tum pellices Regia trecenta & sexaginta vehebantur, & ipsa regali cultu ornatuq;.* De Alexandro idem Curtius, lib. VI. *Pellices trecenta & sexaginta, totidem quot Darii fuerant, Regiam implebant, quas spadonum greges sequebantur.* Cæterùm Persis in trecentos sexaginta quinque dies descriptum esse annum, ut Quadrantem præteream, ex eodem Curtio, lib. III. scimus: *Magos trecenti & sexaginta quinque juvenes sequebantur, puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero: quippe Persis quoque in totidem dies descriptus est annus.* Ad Ægyptios venio; qui ut sapientissimi fuére, ita temporis non periti tantùm, sed religiosi. Annum his computatum *mensibus duodecim*

Digitized by Google

duodecim τριακονθημέροις, sive *tricenûm dierum*, Strabo scribit, lib. XVII. qui dies sunt trecenti sexaginta. *Quinos verò quotannis adjectos.* Præterea *quadrantis incrementum in novam anni formam, die circumducto, exuberasse.* Cùm igitur ordinarent tempora, quæ occupaturi essent, dies aliquot perire quotannis voluerunt. Quippe ἐπαγόμεναι, tanquàm temporis extorres, imò tanquàm non essent, habitæ; adeoque & ab anno remotæ, quamvis mensem complerent; & à mense, quamvis his opus esset, ut ad novum annum veniretur. Breviter, dies non dies erant: quia ἐπαγόμεναι: sic institutæ aliquando, ut procul laboribus, negotiis, curis, lætæ, festæ, feriæ fierent; sic usurpatæ deinceps, ut in voluptates, sordes, fæces deficerent, à sapientia ad stultitiam traducerentur. Fuit igitur Civilis Ægyptiorum annus dierum trecentorum sexaginta: menses duodecim, tricenis singuli numerati. Θώθ, παωφί, ἁθύρ, χοιάκ, τυβί, μεχείρ, φαμενώθ, φαρμεθί, παχών, παῦνι, ἐπιφί, μεσωρί: quæ nomina à Diis, aut Regibus sumpta, in appellationem quoque privatorum populo placuêre. Hinc enim Paphnutii posteà, à παωφί; Pachonii à παχών, alii ab aliis. Sed principium à Mercurio, qui Ægyptiis Θώθ

crat:

Digitized by Google

erat: quemadmodum inter alios & Cicero scribit, lib. III. De Natura Deorum: *Hunc* (Mercurium Argicîdam) *Ægyptii Thoth appellant: eodemque nomine anni primus mensis apud eos vocatur.* Hierophantæ quidem, ut ad Solem calculos redigerent, diebus trecentis sexaginta addi quinque voluêre, sed extra anni terminum limitesque mensium habendos. Origo rei, ut sanctior esset, & inter mysteria, fabulæ involucro adumbrata est. Solem ajunt, ut est apud Plutarchum, De Isíde & Osíride, Rheæ, è Saturno gravidæ, ac deprehensæ, diras imprecatum, μήτε ἐνιαυτῷ τεκεῖν: *Vt neque in mense, neque in anno pareret.* Prorsus, ne pareret, die pariendi sublato. Non aliena sanctissimi sapientissimique Iobi imprecatio, quâ suum ipsius natalem mœstis proscribit verbis, & è natura ejicit, capite III. *Pereat dies, in quâ natus sum; & nox, in qua dictum est, Conceptus est homo.* Inter alia deinde: *Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.* Quid porrò fabula? Mercurium ejusdem Rheæ amore captum, alterum concubitu velut Saturnum fuisse. Hunc deinde aleâ cum Luna ludentem, ac victorem, septuagesimam secundam diei cujusque partem abstulisse. Ergò

quinque

Digitized by Google

quinque omnino inde dies confectos esse, quibus uterum Rhea deponeret, Nataleſque Deorum Ægyptiorum celebratos. Primo autem die in lucem editum Oſirin, ſecundo Aruerin, tertio Typhonem, quarto Iſidem, quinto Nephthen. Patrem Oſiridis & Arueris fuiſſe Solem, Typhonis & Nephthes Saturnum, Iſidis Mercurium: quæ omnia myſteriis plena ſunt. Annus ſic quidem ἐπαγομέναις ſuis, diebus non ſuis, completus eſt, cùm pari religione Quadrans negligeretur. Neglectus autem, ut novo & magno temporis arcano Annus ille Magnus Ægyptiorum, ille κυνικὸς, ille ἡλιακὸς, imò ille θεῖος conderetur. Sanè Reges ſuos, ſolemniter inaugurandos, Hierophantæ obſtringebant, ne veterem anni formam novâ intercalatione perturbarent. Scholiaſtæ verba ad Germanici Aratea hîc repetenda, in Olympiadibus meis annotata: *Deducitur autem Rex à Sacerdote Iſidis in locum qui vocatur Adytos, & jurejurando adigitur, Neque menſem, neque diem intercalandum, quem in feſtum diem immutarent; ſed trecentos ſexaginta quinque dies peracturos, ſicut inſtitutum eſt ab Antiquis.* Hoc defectu (an defectu?) quia quadriennium unum uno die minus erat, aliud an-

Digitized by Google

nus principium, reducto termino, capiebat, & se totum totus retrorsùm tandem emetiebatur. Nullus igitur toto spatio dies erat, qui non aliquando principium fieret. Tot omnino principia, quot dies; tot quadriennia, quot principia numerata. Hanc unam potissimùm ob caussam, ut si vagus annus esset, festa quoque fierent, & peculiari per omnes tempestates religione circumducerentur. Videndus est Geminus in Isagoge, cujus pauca verba, hujus potissimùm argumenti, excerpo: Οἱ μὲν Αἰγύπτιοι βούλονται τὰς θυσίας τοῖς θεοῖς μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν τοῦ ἐνιαυτοῦ γίνεσθαι· ἀλλὰ διὰ πασῶν τῶν τοῦ ἐνιαυτοῦ ὡρῶν διελθεῖν, καὶ γίνεσθαι τὴν θερινὴν ἑορτὴν, καὶ χειμερινὴν, καὶ φθινοπωρινὴν, καὶ ἐαρινήν. *Ægyptii quidem* (contrà quàm Græci) *sacrificia volunt Diis fieri, non secundum idem tempus anni; sed per omnes anni quadrantes circumire; ut idem festum nunc æstivum sit, nunc hibernum, nunc autumnale, nunc vernum.* Rationem simul anni exponens, neglecti quadrantis non aliam fuisse caussam asserit, quâ ut laxatis tempori habenis, dies omnes Deorum omnium religionem cultumque reciperent, novum semper, quia luce variatum. Stitit hunc annum, sic vagum, Augustus IV. Consulatu suo,

Digitized by Google

suo, anno Vrbis IↃCC. XXIII. Iuliano XVI. quemadmodum à Scaligero notatum est: cùm Θώθ in IV. Kal. Septembris incideret: atque deinceps ἐπαγόμεναι, IX. VIII. VII. VI. V. Kalendas constanter obtinuerunt. Faciunt huc quoque Macrobii verba, lib. I. Saturn. cap. XV. *Ægyptii menses tricenûm dierum omnes habent: eóque duodecim mensibus, id est,* CCC. LX. *diebus exactis, inter Augustum atque Septembrem, reliquos quinque dies anno suo reddunt, adnectentes quarto quoque anno Intercalarem, qui ex quadrantibus consit.* Sex igitur ἐπαγόμεναι anno Bissextili erant; atque Augustus triginta duobus constabat diebus.

CAPVT VI.

Annus Ægyptiorum Magnus, & triplici calculo. Sine Intercalatione quadrantem diei considerari. Quot hîc in anno parvo dies, tot in Magno anni sunt. Menses quoque in Magno Magni. De anno Maximo: hujus etiam hiemem & æstatem esse; ab hieme summa inundationem mundi, ab æstate conflagrationem. Lacuna in Seneca expleta.

Digitized by Google

VT hæc sunt, annum suum redire per annum Ægyptii voluerunt; Magnum per parvum; quo circuitu, eo mysterio. Mireris magnum in parvo, plures in uno contineri. Sed de numero quid statuas? Alius aliusque iniri potest. Etenim si per annum trecentorum sexaginta dierum, quem Ægyptiacum propriè appello, caput sive initium, computatis quadriennijs, reductoque vestigio, circumduxeris; annos mille quadringentos quadraginta cumulabis: si per annum trecentorum sexaginta quinque, adjectis nimirum appendicibus; mille quadringentos sexaginta: si per annum non diebus tantùm, sed quadrante completum; mille quadringentos sexaginta unum. Hunc ultimum, quia maximũ, Censorinus notavit: *Ægyptiorum annus Civilis solos habet dies trecentos sexaginta quinque, sine ullo intercalari. Itaque quadriennium apud eos uno circiter die minus est, quàm naturale quadriennium: eoque fit, ut anno millesimo quadringentesimo sexagesimo primo ad idem revolvatur principium.* Columella pariter, lib. III. ubi de vindemiæ quadriennio: *Id enim tempus ferè virentium generositatem declarat, quo sol in eandem partem Signiferi per eosdem numeros redit, per quos*

Digitized by Google

quos cursûs sui principium ceperat: quem circuitum meatûs dierum integrorum mille quadringentorum sexaginta unius ἀποκατάστασιν vocant studiosi rerum cælestium. Medium Chalcidius refert, in Timæum: *Quater perrò trecentis sexaginta quinque quadriennii completur annus Cynicus. Completur autem* (quæ verba præcedunt) *annis mille quadringentis sexaginta.* Primum Geminus, in Isagoge: Ἐν δὲ τοῖς ρκ'. ἔτεσι μηνιαῖον ἔσαι τὸ παράλλαγμα, καὶ πρὸς τὸν τῆς ἡλίου ἐνιαυτὸν, καὶ πρὸς τὰς καθ' ἕτος ὥρας: *In annis verò centum viginti menstrua erit varietas, sive Solis annum, sive anni tempestates respicias.* Hic enim numerus, duodecies sumptus, annos mille quadringentos quadraginta conficiet. Non injucundum erit, dies considerare, ut annos elicias. Tot enim in anno Ægyptiaco, qui quatuor computatur annis, dies sunt, quot in anno Magno anni. Annum Ægyptiacum diebus numera trecentis sexaginta; in quadriennio mille quadringenti quadraginta dies erunt: totidem anni annum Magnum primum constituent. Diebus numera trecentis sexaginta quinque; erunt in quadriennio, mille quadringenti sexaginta dies: totidem anni annum Magnum secundum constituent. Diebus

Digitized by Google

numera trecentis sexaginta quinque, addito quadrante: in quadrennio, mille quadringenti sexaginta unus erunt dies: totidem anni annum Magnum tertium constituent. Hæc animi & amœnitatis causâ. Firmicus verò parum hic firmus fuit, Maximum illum & Mundanum annum cum Magno, sive Cynico confundens: illum, inquam, Platonicum, qui sidera omnia ad vices suas longo errore convertit, cum Ægyptiaco, per dies trecentos sexaginta quinque & quadrantem reducto. Verba ejus sunt, Proœmio Operis: *Quantis etiam conversionibus Major ille, quem ferunt, perficeretur annus, qui quinque has stellas, Lunam etiam ac Solem locis suis originibusque restituit: qui mille quadringentorum sexaginta unius annorum circuitu terminatur.* Maximus hic igitur annus; Maximus, non Cynicus est; Mundanus, non Ægyptius; & incerto annorum numero, quem hactenus Philosophi quærunt. Distingui utrumque, Censorinus annotavit: *Est praterea annus, quem Aristoteles Maximum potius quàm Magnum appellat, quem Solis & Lunæ vagarumque quinque stellarum orbes conficiunt, cùm ad idem signum, ubi quondam fuerunt, unà referuntur.* Passim Scriptores ferè

Digitized by Google

ferè omnes; quamvis nonnulli Maximum etiam Magni nomine effetant, & Platonis exemplo, Perfecti. Magnum vocat Cicero, lib. 11. de Natura Deorum: *Annus Magnus tum efficitur, cùm Solis, & Luna, & quinque errantium, ad eandem inter se comparationem, confectis omnium spatiis, est facta conversio: qua quàm longa sit, magna quæstio est; esse verò certam & definitam necesse est.* Ausonius quoque Edyllio de Ætatibus animalium:

---- Consumpto, Magnus qui dicitur, anno,
Rursus in antiquum venient vaga sidera cursum:
Qualia dispositi steterant ab origine mundi.

Perfectum Chalcidius appellat; & quid nisi Platonis in Timæo interpres? *Est tamen intellectu facile, quòd perfectus temporis numerus Perfectum annum compleat, tunc demum, cùm omnium octo circumactionum cursus peracti, velut ad originem & caput circumactionis alterius revertentur: quam semper idem atque uniformis motus dimetietur.* Sed anni hujus Mundani & hiemem, & æstatem quandam esse; & ab utrâque, cùm summa est, mundum innovari, doctiores, atq; ex eodem Platone, tradidêre. Censorinus ad manum est:

Digitized by Google

est: *Maximi anni hiems summa est* κατακλυσμὸς, *quam nostri diluuionem vocant: astas autem* ἐκπύρωσις, *quod est mundi incendium. Nam his alternis temporibus mundus tum igneſcere, tum exaqueſcere videtur.* Berosus, ut est apud Senecam lib. III. Natural. Quæst. etiam tempus conflagrationi huic, atque diluvio assignat: *Arſura enim terrena, quando omnia ſidera, quæ nunc diverſos agunt curſus, in Cancrum convenerint, ſic ſub eodem posita veſtigio, ut recta linea exire per orbes omnium possit: inundationem futuram, cùm eadem ſiderum turba in Capricornum convenerit.* Ad rem & elegantiam Flori verba faciunt, huc alludentis, lib. IV. de bello Cæsaris & Pompeii: *Cæsaris furor atque Pompeii urbem, gentes, nationes, totum denique quà patebat imperium, quodam quaſi diluvio & inflammatione corripuit.* Et Senecæ eodem libro Natural. Quæst. quem Florus respexit: *Quantò potius Deorum opera celebrare, quàm Philippi aut Alexandri latrocinia, caterorumque, qui exitio gentium clari, non minores fuêre peſtes mortalium, quàm inundatio, quà planum omne perfuſum eſt; quàm conflagratio, quâ magna pars animantium exaruit?* Ejusdem Philosophi mutila periodus est, de reipsa sententiam

Digitized by Google

tiam ſuam proferentis, eodem libro: *Origo mundi non minùs Solem, & Lunam, & vices ſiderum, & animalium ortus, quàm quibus mutarentur terrena, continuit. In his fuit inundatio, qua non ſecùs quàm hiems, quàm æſtas lege mundi venit.* Lege, & ſupple: *Inundatio, qua non ſecùs quàm hiems; & conflagratio, qua non minùs quàm æſtas lege mundi venit.*

CAPVT VII.

Menſes & Dies Magni. GODEFRIDI VENDELINI *ingenium. Diem Magnum Quadriennium eſſe: Menſem Magnum, ultimum vitæ humanæ terminum, à Deo præfinitum. Eodem calculo & diem quarto quoque anno, & centeſimo vigeſimo menſem* XXX. *dierum intercalari. Vſuram menſuram eſſe, vitam nonniſi vſuram.*

SED quis modus? à die ad annum progreſſus ſum, hinc ad annum Magnum, inde ad Maximum. Vt veſtigium revocem, à Maximo rurſus ad Magnum flecto ſermonis viam, ac deſcendo; annum mox denuò, diemque, confecto quaſi circulo, luſtraturus. Annum verò Magnum hîc jam ordine primum, ſive trium

Digitized by Google

Magnorum minimum considero, in mille quadringentos quadraginta annos, sive dies toties trecentos sexaginta (qui sunt 518400) descriptum. Hic quia Annus, imò quia Magnus est, in dies quoque suos Magnos, mensesque Magnos dividitur. Quod temporis secretum in familiari nuper sermone Vir ille mihi verè Magnus aperuit, quem Maximum fuisse agnoscent aliquando posteri, quando è longinquo admirandi prorsùs ingenii jubare fulgebit, sæculo suo altior, GODEFRIDVS VENDELINVS. Cælum quia intelligere potuit, hîc vivet, imò hîc illustris, & æternus erit; despecturus quicquid nunc in terra supra se habet, quicquid vanum, ac periturum novit, ideoque negligit. Sed ita est, *Vivos*, scribente Sallustio, *interdum fortuna, sæpe invidia fatigat: ubi anima natura cessit, demptis obtrectatoribus, ipsa se virtus magis magisque attollit.* Dies igitur Magnus, imò dies Dei, quadriennium est, illud intercalari ratione nobis solenne: imò dies Magnus annus est, si Ægyptiorum more annum Civilem quadriennio computamus. Annum enim illi Vertentem nostrum picturæ compendio, notisque Hieroglyphicis exprimentes, τέταρτον, ut Horus ait, ἀρούρας γράφουσι: *quartam*

arvi

arvi partem pingunt; quasi quatuor demum anni verum mortalibus annum, diei unius defectu, exhibeant. Itaque negligi parvum putes diem, ut magnus nascatur: magnum esse, quoties parvo annus die principium contrahit, & quadrantes repudiantur. Mensis verò Magnus annos comprehendit centum viginti, etiam Gemino notatos, extremum vitæ humanæ terminum, à Deo in Sacris Litteris constitutum, Geneseos cap. VI. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum.* Atque hæc Lactantii explicatio est lib. I. Divinarum Institutionum, cap. XIII. *Deinde Orbe siccato, execratus injustitiam prioris sæculi Deus, ne rursus longitudo vitæ, caussa esset excogitandorum malorum, paullatim per singulas progenies diminuit hominis ætatem, atque in centum & viginti annis metam collocavit, quam transgredi non liceret.* D. tamen Hieronymus, imò Augustinus, Scripturæ locum de resipiscendi tempore, hominibus ad Diluvium usque relicto, intelligere malunt. Dies hîc etiam (*Eruntque dies illius* CXX. *annorum*) anni appellantur trecentorum sexaginta quinque dierum, qui æquabili mensium distributione describi nequeunt,

Digitized by Google

sed solo dierum numero continentur. Hoc igitur Hebræis sæculum fuit, sive spatium vitæ humanæ *Heled*: imò hic Magnus Chaldæis Annus, decem dodecaëteribus computatus: quo absoluto, mensis triginta dierum, & ipse Magni nomine intercalari solet. Centum enim viginti quadrantes diei, dies triginta componunt: centum viginti anni, mense peculiari suo, velut charactere, insigniti. Sive igitur quarto quoque anno diem, sive centesimo vigesimo mensem triginta dierum assumas, in ordinem sedemque suam caput periodi promovetur. Quid plura? ultimam illam vitæ lineam decem dodecaëteribus describi, etiam profanæ interpres eruditionis Servius confirmat, ad versum illum Virgilii, lib. IV. Divini Operis:

Vixi, & quem dederat cursum Fortuna peregi. *Tribus*, inquit, *humana vita continetur: Naturâ, cui ultra centum & viginti Solstitiales annos* (insere *vivere*, vel *vitam extendere*) *concessum non est: Fato, cui nonaginta anni, hoc est tres Saturni cursus, exitium creant: nisi fortè aliarum stellarum benignitas etiam tertium ejus superet cursum: Fortunâ, id est casu, qui ad omnia pertinet, quæ extrinseca sunt, ad ruinam, incendia, naufragia, venena.* Nunc & Censorinum audi de sæ-

Digitized by Google

de sæculo, quod est spatium vitæ humanæ longissimum, ortu & obitu definitum: *Epigenes in centum duodecim annis longissimam vitam constituit; Berosus autem in centum sedecim; alii ad centum viginti annos produci posse; quidam etiam ultrà crediderunt.* Si rectè igitur vitam mortalium expendis, mensis est, extremo isto temporis ac naturę spatio divinitus circumscriptus ac mensus: imò hæc vita, hic mensis usura duntaxat vitæ est, quam consensu quodam juris pleræque gentes menstruam esse voluerunt. Magnus enim ille Trapezita Deus hanc temporis, velut pecuniæ usuram à genere humano exigit, justus semper & benignus: imò menses computat, dies expendit, qui in thesauris suis annos omnes, ævum, & æterniratem clausit. Omne ei tempus sors est, fœnus quantum quisque vivit: sed brevem esse hanc usuram vitæ, omnes ad miseriam homines nati conqueruntur; quasi non satis tot quotidie malis obnoxii, nisi & diu. Hanc etiam persolvimus Deo usuram omnes, quandocumque morimur; & ætatem velut mensem habemus, quibuscumque tandem annis terminatam. Plures in flore ætatis Parca rapit, multos in robore: consenescere paucos admodùm sinit. Sed cogita vitam

Digitized by Google

desinere, quando sanitas deficit; non posse citrà morbum senium haberi: imò cogita, à mente citiùs, quàm vitâ plerosque abire; quę viventium, & ante mortem mors est. Si rectè calculum ponis, sæculum, lustrum, annus, ipse denique dies, mensis est: his omnibus vitæ usura continetur. Quid tandem? Mensem, annum, lustrum, sæculum, diem esse dices, si cum æternitate comparabis. Pulchrè, & planè ad hanc naturæ contemplationem Cicero, libro 1. Tuscul. Quæst. *Apud Hypanin fluvium, qui ab Europæ parte in Pontum influit, Aristoteles ait bestiolas quasdam nasci, quæ unum diem vivant. Ex his igitur horâ octavâ quæ mortua est, provectâ ætate mortua est: quæ verò occidente Sole, decrepitâ: eò magis, si etiam solstitiali die. Confer nostram longissimam ætatem cum æternitate; in eâdem propemodum brevitate, quâ illa bestiola, reperiemur.*

CAPVT VIII.

Novi Orbis Fasti. Annum Mexicanis XVIII. *mensibus distinctum fuisse, mensem diebus* XX. *Tota Anni partitio expensa. Etiam apud Barbaros hosce ἐπαγόμεναι: Laterculum dierum, sed* XIII. *Intercalatio: Cyclus Solis, sed*

Digitized by Google

LII. *annorum, saculi loco. Morus in eo innovando ritus.*

DE Anno Magno satis, qui esse non poterat, nisi dies Intercalaris negligeretur: satis de Maximo, qui mundum, & ætatem mundi includebat. Ad Civilem nunc illum, & minorem redeo: quem cùm Ægyptii, Persæ, Romani trecentis sexaginta diebus absolverent, coronare quinque appendicibus visi sunt, quodam velut temporis intervallo; & tanquàm post labores respirarent, ad nova anni auspicia transeuntes. Quid Barbari, & in novo Orbe homines? non Ægyptiis, non Persis, non Romanis cesserint. Tempora Sole & ingenio partiti, suis annum mensibus, suis mensem diebus constituêre: annum nostrum, mensem suum, diebus & nostris & suis, lusui paucis, sed post laborem, destinatis. Nimirum, ut sapientes essent, aliquantulum temporis anniversariâ dignum stultitiâ arbitrati sunt: ut Christiani, Christianos cum religione fastos amplexi. De Mexicanis potissimùm ago, qui cùm à Deo alieni essent, cælum tamen scrutati sunt: & legem dixêre tempori, cùm ipsi quodammodò extra legem viverent. Annum igitur trecentis sexaginta coarctatum diebus videas, &

Solis

Digitized by Google

Solis fuisse: Menses duodevicenos, vicenis diebus singulos; unde dies illi trecenti sexaginta exsurgebant. Decies octies enim viginti, sive vicies octodecim, 360. conficiunt. Id prorsùs actum fuisse arbitror; ne plures in anno menses essent, quàm in mense dies: similiter, ne pauciores in mense dies, quàm menses in anno. Quia verò æquali numero quot in anno menses erant, tot in mense dies esse non poterant; placuisse verisimile est, ut dierum potiùs, quàm mensium ratio superaret. Menses igitur duodeviginti, dies viginti, mediis proximisque sive anni, sive circuli partibus constitutos esse. Sed ut quæ mediæ sint & proximæ distinguas, operæpretium erit, omnes exhibere. Tot enim menses esse possunt, quot partes sunt: tot etiam dies. Menses si duo sunt, dies habebunt singuli 180: si tres, 120: si quatuor, 90: si quinque, 72: si sex, 60: si octo, 45: si novem, 40: si decem, 36: si duodecim, 30: si quindecim, 24: si octodecim, 20. Hi Medii & Mexicani sunt. Deinceps, si viginti, 18. & sic pauciores jam dies, quàm menses sunt: si vigintiquatuor, 15: si triginta, 12: si triginta sex, 10: si quadraginta, 9: si quadraginta quinque, 8: si sexaginta, 6: si septuaginta duo, 5: si nonaginta, 4: si centum viginti, 3: si centum

Digitized by Google

centum octoginta, 2. Trecenti denique sexaginta si pro uno sumantur, vel unus pro trecentis sexaginta, annus mensis erit, & mensis annus. Mexicanis verò etjam quinque ἐπαγόμεναι in usu; & ut honestè peritent, extra annum rejectæ. Quadrans quoque, sive dies Intercalaris tàm religiosè hìc observatus, quàm Ægyptiis neglectus. Prætereà, ut apud Romanos olim ἡ ὀκλαήμερος, apud nos verò ἡ ἑπλαήμερος: ita apud Mexicanos ἡ τρισκαιδεκαήμερος, quæ in orbem nonnisi post quater tredecim annos, sive quinquaginta duos redit: quot nobis in anno hebdomades sunt. Hunc illi Cyclum Solis poterant appellare, qui nobis viginti octo annis explicatur. Τρισκαιδεκαημέρους verò (si & ἐπαγόμεναι in numerum veniant) habebant vigintiocto, accedente die uno, ac diei quadrante: qui vertens annus est. Quadriennia igitur sedulò & constanter observata; quæ singula diem Intercalarem adoptabant. Quemadmodum verò tredecim suo in orbem dies laterculo ducti: ita tredecim majori periodo anni; imò verò, quater tredecim constituti: qui sunt quinquaginta duo anni, Sæculum Mexicanorum; peculiari etjam ritu & finiri, & innovari solitum. Etenim mundum aliquando, ejusmodi

Digitized by Google

periodo exſpirante, interiturum certò ſibi perſuaſerant: ideoque ultimâ illâ anni Magni nocte, incertum an diem redditurâ, vaſa omnia, ad vitæ uſum neceſſaria, confringebant, inter ſpem metumque, extinctis luminibus, ſimul excubantes. Hoc profectò erat, ultimum quodque ſæculum, annum, diem, tanquàm non reverſurum conſumere: ſi novum Deus daret, in lucrum deputare. Ergò fati mox terrore liberati, nova accendebant cum novo die lumina, novam,

Dum roſeâ face Sol inferret lumina cælo,

inſtruebant ſupellectilem, novam, ut ſic dicam, vitam, periodumque ordiebantur. Annum Mexicanum vides, menſes, dies. Vides appendices quinque, ſive ἐπαγομένας; quæ, ut extra annum eſſent, hîc quoque perire debuerunt; vel certè, ut perirent, ad hunc modum computari.

CAPVT IX.

Chriſtianorum ἐπαγόμεναι. Hinc Bacchanalia noſtra, ut hodie appellamus, ſed Luna ratione computata & vaga. Veram originem anno nuper ∞. IↃC. XXXIV. apparuiſſe. In Biſſextili Iuliano ſex ἐπαγόμεναι. Cæſaris Edictum: cur Ciceroni grave. Anni Iuliani elogium.

IN

Digitized by Google

IN novo fuisse Orbe, quod in nostro admiremur, ad laudem & encomium Barbarorum facit. Sed quid? omnibus omnino hominibus cælum commune est; omnibus, annorum, mensium, dierum ratio, quæ cælo derivatur. Ἐπαγόμεναι, quia Romæ fuerunt, etiam Christianis receptæ: qui, ut sanctiùs severiusque reliqua pietatis tempora occuparent, paucos lætitiæ atque hilaritati dies indulsêre. Anno jam Romano uti cœperant; quidni & anni more? Imò Romani jam erant; totum Patriæ genium quomodò exuerent? Verumenimverò alia rerum initia sunt, alii progressus: voluptas semel admissa, facili incremento se dilatat, pronis in vitium animis; nutantque mores, ubi exemplo frangimur, & plures sunt qui peccant. Nostra hodie Bacchanaliorum nomine convivia, tripudia, larvæ, & reliqua ubique insanientis lasciviæ scena hinc orta: ἐπαγόμεναι sunt, à quibus ad ferias Esuriales Cinerum pietate transimus. Quinque aliquando dies erant: sed à Sole exules, numerum suum à Lunæ inconstantiâ auxêre, extra annum tum quidem, posteà etjam extra legem. Totum enim hoc stultitiæ tempus, quia ratione Paschæ dirigitur, ac vagatur, minori obnoxium

Digitized by Google

sideri, in Martium frequenter, limite semper vago, excurrit. Interdum tamen ad quinque rursus dies restringitur, & originem suam indicat, quoties in Kalendas Martias Cineralia nostra incidunt. Id nuper vidimus, anno ∞. IↃↃ. XXXIV. Februarius enim, quia finem imponebat Comi his solennibus, claudere annum visus est; reddere, quicquid in anno fuit. Cæsar quidem, cùm multis Rem Romanam vitiis nævisque liberaret, & adhuc reliquiis belli impediretur, Fastos correxit, qui loco jam suo moti ac confusi erant; quia imperiti, aut maligni Pontifices, penes quos modus arbitriumque intercalandi. Et quis credat, *neque messium ferias æstate, neque vindemiarum*, ut cum Suetonio dicam, *hieme competivisse?* A Bissexto remedium fuit, & Die Intercalari, qui ipso loco suo, quia Terminum sequebatur, ostenderet, reliquas, ipsis exceptis Martiis, extra annum Kalendas esse, atque adeò rescindi. Extra annum, sed diebus trecentis sexaginta impletum. Rescindi, tanquàm inutiles, & verè abdicatas. Kalendas, & tamen ἐπαγομένας, non jam quinas, sed senas, anno Bissextili, & perfecto numero computatas. Dies igitur Intercalaris inter Kalendas est, & hinc dictus: inter ἐπαγομένας, &

tumul

Digitized by Google

simul interit: extra mensem & annum, ut jure videatur interire. Quid tandem? à Cæsare est, qui unus intelligere potuit, sic corrigendos fastos esse; quamvis plenè adhuc non corrigeret. Et tamen, ut BISSEXTVM obtineret, & maximum Romani beneficium admitterent, Edicto opus erat: de quo Macrobius, lib. 1. Saturnal. cap. XIV. *Annum Civilem Cæsar, habitis ad Lunam dimensionibus, constitutum, Edicto palàm posito publicavit.* Diebus constitutum CCC. LXV. & quadrante, qui quarto quoque anno, sed desinente, diem impleret.

Ille moras Solis, quibus in sua signa rediret,
Traditur exactis dispositisse notis:
Is decies senos ter centum & quinque diebus
Iunxit, & è pleno tempora quarta die.

Sed quomodò *habitis ad Lunam dimensionibus?* Quia à novilunio maluit, quod eo anno septem Brumam diebus sequebatur, quàm à Bruma annum auspicari. Addit, *Edicto palàm proposito.* Hoc Edictum carpere suo dicto Cicero sustinuit, quia Cæsari infestus. Cùm enim anno primo Iuliano, ut est apud Plutarchum in Cæsare, nescio quis diceret, *Cras Lyra orietur*, Respondit: *Et quidem ex Edicto.* Quam difficulter tempora corrigan-

Digitized by Google

tur, hinc discimus. Publicum ecce maximumque omnium hominum, omniumque temporum ornamentum traductum & infamatum est; & ab eo, qui scire poterat, cælum jam Romanis negligi, imò nesciri: qui cùm vitia Reipublicæ, quàm Cæsaris virtutes faciliùs ferret, correctum esse annum doluit, privatis aut commodis, aut ambitioni subductum. Nimirum uti Iuliano cogebatur, abuti veteri solitus erat. Hinc illæ ad Atticum repetitę voces: *Ne intercalaretur*. Lib. v. epist. IX. *Memento curare per te, & per omnes nostros, inprimis per Hortensium, ut annus noster maneat suo statu; nequid novi decernatur. Hoc tibi ita mando, ut dubitem, an etiam te rogem, ut pugnes, ne intercaletur. Sed non audeo tibi omnia onera imponere: annum quidem utique teneto.* Item epist. XIII. *Per fortunas (quoniam Roma manes) primum illud præfulci atque præmuni quæso, ut simus annui; ne intercaletur quidem.* Ad Marium quoque lib. VII. epist. II. *Nos hîc multitudine & novitate judiciorum, & novis legibus ita distinemur, ut quotidie vota faciamus, ne intercaletur; ut quamprimùm te videre possimus.* Et hic tamen ille est Cicero, qui lib. II. D. Legibus scripsit: *Feriarum festorumque dierum*

ratio

Digitized by Google

ratio in liberis requietem habet litium & jurgiorum, in servis operum & laborum: quas compositio anni conferre debet, & perfectionem operum rusticorum. Per quod tempus, ut sacrificiorum libamina serventur, fœtusque pecorum, diligenter habenda ratio intercalandi est: quod institutum peritè a Numa, posteriorum Pontificum negligentiâ dissolutum est. Negligentiâ? imò improbitate, ut dixi, & imperitiâ: quarum alteri obnoxius quoque Orator fuit, cùm ne in anno quidem nomen Iulii toleraret. Ad Atticum lib. XVI. Epist. 1. *Itáne? Nonis Iuliis? Dii herculè istis! sed stomachari totum diem licet. Quicquámne turpius, quàm Bruto Iuliis?* Irascentis, imò exsecrantis hîc diras vides, in Nonas, quia Iulias, Quinctiles appellari solitas: imò in mensem hoc nomine, ipsumque adeò annum. De mense benigniùs Varro, apud Priscianum: *A Iulio, qui fastos correxit, honoris & virtutum caussâ, Iulius mensis appellatus est.* Censorinus tempus ipsum suis notis præfinit: *Qui Quinctilis fuit, Iulius cognominatus est, C. Cæsare V. & M. Antonio Coss. anno Iuliano secundo.* Adjungit Dio Cassius, lib. XLIV. imo Festus, in voce Iunium, *hoc mense Iulium natum esse.* Si & diem quæris, è Macrobio scies,

Digitized by Google

scies, lib. I. Saturnal. cap. XII. *In honorem Iulii Cæsaris Dictatoris, legem ferente M. Antonio, M. Filio, Consule, Iulius appellatus est; quòd hoc mense, ad* IV. *Idus Quinctilis, Iulius procreatus sit.* Inter caussas tamen cædis hanc *appellationem mensis* Suetonius refert, cap. LXXVI. Sed facilius tollere è vita Cæsarem, quàm à mense nomen Cæsaris Conjurati potuêre. Quamdiu res humanæ erunt, mensis erit Iulius: & annus Iulianus, quamdiu annus; tametsi GREGORII nomen, quia correctus, admisit. Non frustrà Censorinus: *Ex hoc anno, ita à Iulio Cæsare ordinato, cæteri ad nostram memoriam Iuliani appellantur: iique consurgunt ex quarto Cæsaris Consulatu.* Ad tuam, Censorine? imò ad omnem. Quæ enim unquam erit, & Cæsari non obstricta? Qui homines, & tanti beneficii expertes? Æternum est, quod acceperunt omnes: acceperunt annum, quo numerantur omnia, quo durant omnia, & quod non est continetur. Ergò annos omnes, tanquàm suos, Cæsar computabit: æternumque parricidis suis scelus exprobraturus, Lucani versibus gloriabitur:

Media inter prælia semper
Stellarum, caliique plagis, Superisque vacavi;
Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT X.

Confusionis annus. Macrobii error. Solini hallucinatio. Dies LXVII. *à Cæsare inter Novembrem & Decembrem intercalati, sive menses duo, dies septem. Dio explicatus. Anni Romani & Iuliani calculus pariatus. Decem novorum dierum distributio. Initium anni cur non à Bruma?*

PORRÒ quæ ad correctionem Iulianam, & ad lucem simul bonorum Scriptorum faciunt, breviter complecti juvat, ut plenior etiam Bissexto lux accedat. Annus ipse, quo Fasti à Cæsare emendati, Confusionis nomen ad se totum traxit. Dies nimirum mensesque tunc maximè turbari, misceri, confundi debuêre, ut in ordinem cogerentur, qui Confusi hactenus fuerant, ac cælo responderent. Quia enim Kalendæ tum temporis Ianuariæ Pompilianæ, in III. Eiduum Octobris Iulianarum, vitio Pontificum, retractæ erant; ad verum non poterant locum protrudi, nisi totus emendatione annus æstuaret. Ergò expensâ sideris utriusque ratione, à Nonis, Eidibus, Kalendis, Luna remota est, ut solus Sol luceret; solus &

Digitized by Google

lus & annum, & menſes, & dies radiis ſuis diſtingueret: relictis ſorori noctibus, ut aliquid illę diei haberent. De confuſione iſta Macrobius, lib. 1. Saturnal. cap. XIV. *Sub ſpecie obſervationis* (veterem Pontificum & perverſam Intercalationem intellige) *emergebat major Confuſionis occaſio.* Mox: *Cæſar exordium novæ ordinationis inituruſ, dies omnes, qui adhuc Confuſione poterant facere, conſumpſit: eáque re factum eſt, ut annus Confuſionis ultimus in quadringentos quadraginta tres dies tenderetur.* Imò in quadraginta quinque, ut oſtendam. Quid Solinus? Non quidem nominat Confuſionem, ſed notat; quamvis malè notet. Numeri enim & hîc in mendo ſunt, ſi Scriptori hallucinationem imputes; vel certè mendum in numeris, ſi librario. Videamus: *C. Cæſar univerſam hanc inconſtantiam* (anni) *inciſâ temporum turbatione, compoſuit; & ut ſtatum certum præteritus acciperet error, dies viginti unum & quadrantem ſimul intercalavit: quo pacto regradati menſes de cetero ſtatuta ordinis ſui tempora detinerent. Ille ergò annus ſolus trecentos quadraginta quatuor dies habuit: alii deinceps trecentenos ſexagenos quinos, & quadrantem.* Sanè neque dies viginti unum, & quadrantem Cæſar intercala-

Digitized by Google

tercalavit; sed vel sexaginta septem, qui duo menses erant, dieſque septem; vel nonaginta, si Mercedonium includas. Neque trecentos quadraginta quatuor dies annus ille habuit: sed quadringentos quadraginta quinque. Calculum pone, dices. Annus Romanus Reipublicę tempore, diebus, ut suprà ostendi, constabat CCCLV: mensibus verò XII. adde Mercedonium, illum, teste Censorino, viginti trium dierum, post Terminalia, & more anni intercalatum: duos item illos adde Cæsaris, inter Novembrem & Decembrem medios, quorum alter, more anni Romani, dies habuit viginti novem, alter unum & triginta: denique dies adde septem, anni supplementum; & quadringentos simul quadraginta quinque conficies: qui menses sunt quindeni. Mensium quidem hunc numerum Suetonius extulit, de Cæsare, & anno ejus scribens, cap. XL. *Quò autem magis in posterum è Kalendis Ianuariis nobis temporum ratio congueret, inter Novembrem ac Decembrem mensem, interjecit duos alios: fuitque is annus, quo hæc constituebantur, quindecim mensium cum intercalario* (simul numerato) *qui ex consuetudine in eum annum inciderat.* Menses & simul dies extulit Censorinus: *C. Cæsar Pontifex*

Digitized by Google

tifex Maximus, suo tertio. & M. Æmilii Lepidi Consulatu, quò retrò delictum corrigeret, duos menses intercalarios, dierum sexaginta septem in mensem Novembrem & Decembrem interposuit, cùm jam mense Februario dies tres & viginti intercalasset; facerétque eum annum dierum quadringentorum quadraginta quinque. Compendio hîc duo menses Intercalarii diebus sexaginta septem computati: cùm alteri viginti novem, alteri unus & triginta tribuendi essent; septem autem illi, prorsus tanquàm ἐπαγόμεναι, confusioni accederent. Ita jam quoq; intelligendus Dio, lib. XLIII. *Diebus omnino sexaginta septem auctum à Cæsare annum* asseverans: *Falli eos, qui plures statuerent.* Computa menses duos Intercalarios novos, alterum viginti novem, alterum triginta unius dierum, sexaginta invenies: quibus si accedant septem, summa constabit. Si *plures* fuisse contendas, in calculum simul ducendus Mercedonius, alternis solitus annis intercalari. Sed is Cæsaris non erat, erat consuetudinis: dies autem sexaginta septem Cæsar à se, non à consuetudine adjecit. Quid igitur? Iunge illos Cæsaris, & non Cæsaris: illos, inquam, 67, & 23: nonaginta erunt, & quomodocumque accipiantur,

Inter-

Digitized by Google

Intercalares. Adjunge 355, annum, inquam, Romanum, ſive Pompilianum; & tota ad dies 445 Confuſio extendetur. Hic ille numerus eſt, qui à duobus ſubductus annis Iulianis, ſive diebus bis 365 (ſunt autem 730) initia menſium veterum in decurſu novorũ aperiet: annum ipſum Pompilii in Iuliano. Reliqui nimirum erunt dies 285: qui à correcti anni Kalendis numerati, in IV. Eid. Octobris deſinent. Hac ratione, ſed veriſſimâ, Kalendæ Ianuarii Pompiliani, qui dierum erat 29, in III. cadebant Eidus Octobris Iuliani: Kalendæ Februarii, dierum 28, in III. Eid. Novembris: Kalendæ menſis Mercedonii, dierum 23 in Prid. Non. Decembris: initium ἐπαγομένων, dierum 5, in VI. kal. Ianuarii anni ſequentis: Kalendæ Martii, dierum 31, in kalendas Ianuarii: Kalendæ Aprilis, dierum 29, in kalendas Februarii: Kalendæ Maji, dierum 31, in VI. Non. Martii: Kalendæ Iunii, dierum 29, in IV. Non. Aprilis: Kalendæ Quinctilis, dierum 31, in kalend. Maji: Kalendæ Sextilis, dierum 29, in kalend. Iunii: Kalendę Septembris, dierum 29, in Prid. kal. Iulii: Kalendæ Octobris, dierum 31, in IV. kal. Auguſti: Kalendæ Novembris, dierũ 29, in IV. kal. Septembris: Kalendæ menſis Intercalarii prioris, dierum

Digitized by Google

29, in v. kal. Octobris: *Kalendæ* Intercalarii posterioris, dierum 31, in VII. kal. Novembris: Initium Confusarum ἐπαγομένων, dierum 7, in VI. kal. Decembris: Kalendæ denique Decembris, dierum 29, in III. Non. Decembris. Atque ita expleto mense, & simul anno, diebus verò CCCC. XLV. tota in ordinem Confusio redibat. Reliqua jam cura, ut in posterũ, objecto errori repagulo, Solis modumac dimensionẽ annus acciperet, & servaret: non, ut hactenusdiebus CCCLV. sed CCCLXV. volveretur. Quid Cæsar? Verbis Censorini dicam: *Diebus trecentis quinquaginta quinque addidit decem: quos per septem menses, qui dies undetricenos habebant, ita distribuit, ut Ianuario, & Sextili, & Decembri bini accederent; cateris singuli: eosque dies extremis partibus mensium apposuit; ne scilicet religiones sui cujusque mensis à loco summoverentur.* Hęc & Macrobio caussa assignata est, lib. 1. Saturnal. capite XIV. *Peractis cujusque mensis feriis, locum diebus advenis fecit.* Quomodò? ut Nonis, Eidibusque intactis, numerus Kalendarum, sed desinentium, augeretur. *Et Ianuario quidem* (verba adhuc Macrobii sunt) *quartum & tertium Kalendas Februarias dedit, Aprili sextum* (an & hìc *tertium?*) *Kalendas Majas,*

Digitized by Google

Majas, Iunio tertium Kalendas Iulias, Augusto tertium & quartum Kalendas Semptembres, Septembri tertium Kalendas Octobres, Novembri tertium Kalendas Decembres, Decembri verò quartum & tertium Kalendas Ianuarias. Si Confusionem Correctioni conferas; plus quasi in denis qui distributi sunt, diebus, quàm in sexagenis septenis, qui adjecti, negotii fuit. Hi namque semel & simul inter Novembrem & Decembrem inserti, obtinuerunt locum suum. Illi verò, alios aliosque menses sortiti, totum, ut sic dicam, annum occupârunt. Sacerdotes etiam confer Cæsari: ingens vitium, & quasi enorme, facili peritiâ sublatum est. Omnes enim annos illi confuderant, ut nullus jam quodammodò esset: unum hic, ut omnes ordinaret. Vnum etiam fuisse Cæsarem, & singularem cogita, qui posset omnia: cujus cùm in omnibus ingenium laudes, in uno consilium mireris. Cur enim, ut cæli limites annus reciperet, initium Brumam non habuit?

Bruma novi prima est veterisq; novissima Solis.

Nónne potiùs

Principium caperent Phœbus & annus idem?

Verus hic temporis cardo erat, verum Solis initium, vera

Anni

Anni tacitè labentis origo.

Poterat sic etiam septem diebus Cæsar parcere; solis autem sexaginta annum implere: poterat omnem temporis inconstantiam vincere, omnem in posterum errorem coërcere. Quid pulchrius erat, quàm, Sole surgente (surgebat autem VIII. Kal. Ianuarias, teste Servio) nasci annum? menses præterea signis respondere? Sed profectò opportunum ille duxit, utriusque habere rationem sideris, cùm uni imperium daret: transire brumam, & Novilunium amplecti, quod septem hoc anno diebus sequebatur. Non frustrà Macrobius (repetenda enim hìc verba, suprà quoque citata) lib. I. Saturnal. cap. XIV. *Annum Civilem Cæsar, adhibitis ad lunam dimensionibus, constituit.* Et quam ob causam? ut facilius introduceret. Pleræque enim gentes, quia annum suum hoc tempore, & illum Lunæ, è Kalendis Ianuariis computabant, promptiores ad illum Solis recipiendum futuri erant; quia à Luna non recedebat. An decepti sint, nescio: sed quia in novo, ac non suo, idem initium invenêre, suum arbitrati sunt: amplexi novum, quia Cæsaris erat; quia illius, qui jubere poterat. Quid tamen est? Christianis postea à Bruma auspicia temporis (quia salutis) sumenda

Digitized by Google

menda erant. Hoc die, ut tum cardo hærebat, VIII. Kal. Ianuarias novus in terra Sol è Virgine Deus, è Deo homo, & ad salutem hominum, natus est, tempora illustrans, quæ fuerant, erant, futura erant: Dei & Anni quomodò diversus natalis sit? Non potest nisi cum Deo annus nasci, cùm brevissimus dies est: non debet nisi cum anno Deus, qui æternitate cingitur, & omnes dies ceu unum habet. Quid vel nunc nobis faciendum sit, declarat epochæ formula: annos Christi, ducto à Natali ejus calculo, numeramus.

CAPUT XI.

Novus sacerdotum, occiso jam Cæsare, circa Bissextum error, per annos XXXVI. *productus. Edictum Augusti. Duodecim sine Intercalatione anni. Ammiani Marcellini hallucinatio. Primum Bissextum. Intercalationes vitiosæ per annos & Consules computatæ.*

BISSEXTI quidem ratio, quia nova, imò quia à Cæsare, partim invisa eo tempore, partim non intellecta. Sacerdotes enim, quorum curæ intercalatio commissa erat, errare citiùs cœpêre, quàm intercalare. Dixerim interfectum à Bru-

Digitized by Google

to Cassioque Cæsarem, ut non commoda tantùm hominum ac vota, sed tempora quoque ac fata turbarentur: cùm amplius jam esset, annum Romanis constitutum esse, quàm libertatem concussam. Dubium etiam, plus annus, an libertas laboraverit. Indigneris verò, interfectum ab iis, qui, & à quo vitam ipsi acceperant, subsidia, solatia, ornamenta: acceperant tempora, quibus deinceps vitam computarent. Senecam audi, lib. 1. De Beneficiis, cap. XX. *Disputari de M. Bruto solet, an debuerit accipere à D. Iulio vitam, cùm occidendum eum judicaret. Mihi, cùm vir magnus fuerit in aliis, in hac re videtur vehementer erraſſe, nec ex inſtitutione Stoïca ſe geſſiſſe: qui, aut Regis nomen extimuit, cùm optimus civitatis ſtatus ſub Rege juſto ſit; aut ibi ſperavit libertatem futuram, ubi tam magnum pramium erat & imperandi, & ſerviendi; aut exiſtimavit civitatem in priorem formam poſſe revocari, amiſſis priſtinis moribus, futuramque ibi æqualitatem Civilis juris, & ſtaturas ſuo loco leges, ubi viderat tot millia hominum pugnantia, non an ſervirent, ſed utri.* Stare igitur Respublica non potuit, nisi ut periret. Rursus periit, quia cecidit Cæsar. Quod ad rem nostram facit. Solem sublatum cogita, annum

rursus,

Digitized by Google

rursus, & novo BISSEXTI vitio, obscuratum. *Vitium admissum est per Sacerdotes*: quemadmodum Solinus scribit: *Nam cùm praceptũ esset, anno quarto ut intercalarent unum diem; & oporteret confecto quarto anno id observari, antequam quinctus auspicaretur: illi incipiente quarto intercalârunt, non desinente. Sic per annos sex & triginta, cùm novem dies tantummodò suffitere debuissent, duodecim sunt intercalati. Quod vitium deprehensum Augustus reformavit, jussitque annos* XII. *sine intercalatione decurrere; ut tres illi dies, qui ultra novenarios temerè fuerant intercalati, hoc modo possent repensari: ex qua disciplina omnium posteà temporum fundata ratio est.* Hæc eadem Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. XIV. & iisdem quasi verbis: *Sacerdotes sibi errorem novum ex ipsa emendatione Cæsaris fecêre. Nam cùm oporteret diẽ, qui ex quadrantibus constit, quarto quoque anno confecto, antequàm quinctus inciperet, intercalare; illi quarto non peracto, sed incipiente intercalabant. Hic error sex & triginta annis permansit; quibus annis intercalati sunt dies duodecim, cùm debuerint intercalari novem. Sed hunc quoque errorem, serò deprehensum, correxit Augustus, qui annos duodecim sine intercalari die transigi*

Digitized by Google

jussit; ut illi tres dies, qui per annos triginta sex, vitio sacerdotalis festinationis excreverant, sequentibus annis duodecim, nullo die intercalato, devorarentur. Post hoc, unum diem, secundum ordinationem Cæsaris, quinctο quoque incipiente anno intercalari jussit; & omnem hunc ordinem ærea tabula ad æternam custodiam incisione mandavit. Gravem Plinii elegantiam nolo hic desiderari, libro XVIII. cap. XXV. *Cæsar Dictator annos ad Solis cursum redigens, Sosigenem, peritum scientiæ ejus adhibuit: Et ea ipsa ratio postea comperto errore correcta est: ita ut duodecim annis continuis non intercalaretur: quia cœperat sidera annus morari, qui priùs antecedebat.* Sacerdotes igitur, quia anno quarto, non exeunte, sed ineunte (quæ à Cæsare præfixa erat regula) Bissextum computabant, è tribus quadrantibus diem conflârunt. Id verò erat, edictum Cæsaris merâ insciti â, non carpere, sed violare: vim non Iulio, sed anno infetre. Primum enim & vitiosum Bissextum anno à Cæsaris cæde secundo desinente celebratum est; id est quarto Iuliano, non confecto, sed incipiente, post tres duntaxat quadrantes cõpletos: secundum, septimo: tertium, decimo: quartum, decimotertio: quinctum, decimosexto: sextum,

Digitized by Google

tum, decimonono: & sic deinceps, continuo trium annorum incremento. Horæ igitur octodecim pleni instar computatæ diei; qui nonnisi vicenis quaternis constituitur, & ὑπεχθήμερον absolvit. Primo namq; anno, qui in secundum, à sexto nimirum Kalendas Martii, ad sextum se extendit, horæ sex supersunt; secundo, qui in tertium, duodecim; tertio, qui in quartum, octodecim; quarto demum, qui in quinctum, completo, viginti quatuor. Hac etiam ratione alium tres ordine anni, alium ultimus cuiusq; dies finem sortiuntur. Dies enim omnis, ut à media nocte incipit: ita & in media finitur. At anni variant excessu suo. Primus ultra mediam noctem ad ortum sive horam sextam matutinam procurrit: secundus ad meridiem: tertius ad sextam vespertinam, sive ad occasum: quartus, collectis quatuor quadrantibus, cum ipso, sed novo, & trecentesimo sexagesimo sexto die exspirat. Præcipitatus verò hic Pontificum errot ut corrigeretur, novum poscebat Cæsarem: invênit Augustum; qui prolapsos jam fastos ad legem suam reducturus, C. Martio Censorino, Asinio Gallo Coss. anno Vrbis conditæ 1ɔcc. XLV. labente, novo Edicto sanxit, *Duodecim annos proximos sine intercalatione*

Digitized by Google

tione transigendos esse. Hæc emendatio, quemadmodum à Plinio, Solino, Macrobio, aliisque descripta est: ita Ammianum Marcellinum fefellit, lib. XXVI. de Bissexto curiosiùs agentem. Is secundum Pontificum errorem cum primo confundens, magnifico verborum apparatu anni auctorem, non Iulium, sed Augustum facit: *Octavianus Augustus, Graecos secutus, hanc inconstantiam, correctâ turbatione, composuit, spatiis* XII. *mensium &* VI. *horarum magnâ deliberatione collectis; per quae duodecim siderum domicilia Sol discurrens, moribus sempiternis, annitotiuinterualla concludit.* Quam rationem BISSEXTI *probatam, etiam victura cum seculis Roma adjumento numinis diuini fundauit.* Hoc sanè Iulii opus fuit; Augustus fulsit. Ille instituit BISSEXTVM, hic emendavit. Quomodo? suspensum est, ut producto sine Intercalatione duodecim annorum spacio, tres omnino dies praecipiti calculo exuberantes tollerentur. Primum igitur post hanc emendationem Bissextum, ut numeros sequar emendatores, anno fuit Iuliano LIII. ineunte, Urbis Condit. DCCC.LX. etiam ineunte, Camillo & Quinctiliano Coss. Christi Consuali VII. Litteris A G. quibus & proximus hic noster

Digitized by Google

.IOC. XL. notabitur. Hæc omnia & certiora & clariora, quæ sequitur, faciet

BISSEXTORVM SERIES VITIOSA,

A Confusione ad primam correctam, ab Augusto Intercalationem, quæ secunda Epocha Christiana fuit, per annos Vrbis, & Iulianos, ipsosque adeò Consules, extensa.

ANNVS CONFVSIONIS, qui Vrbis fuit IOCCVII. menses habuit XV. sive dies CCCCXLV. Consules C. Iulium Cæsarem III. & M. Æmilium Lepidum. Censorinus De Die Natali: *C. Cæsar Pontifex Maximus suo tertio, & M. Æmilii Lepidi Consulatu, annum Civilem ad Solis cursum formavit.* Idem: *Anni Iuliani consurgunt ex* IV. *Cæsaris Consulatu.*

AN. V. C.	IVLIANI,	CONSVLES.	INTERCALATIONES.
708.	I.	*Cæsar* IV. *sine Collega.*	VI. KAL. MART.
709.	II.	*Cæsar* V. *& Antonius.*	
710.	III.	*Pansa & Hirtius. Hi occisis, Octavianus & Pedius.*	
711.	IV.	*Plancus & Lepidus.*	INT. VITIOSA I.
712.	V.	*Antonius & Vatia.*	* Locus veræ.
713.	VI.	*Calvinus & Pollio.*	
714.	VII.	*Censorinus & Sabinus.*	INT. VITIOSA II.
715.	VIII.	*Pulcher & Flaccus.*	
716.	IX.	*Agrippa & Gallus.*	* Locus veræ.
717.	X.	*Poplicola & Nerva.*	INT. VITIOSA III.
718.	XI.	*Cornificius & Sex. Pompejus.*	
719.	XII.	*Libo & Atratinus.*	
720.	XIII.	*Octavianus* II. *& Tullus.*	INT. VITIOSA IV.

721.

Digitized by Google

721.	XIV.	*Abenobarbus & Sofius.*		
722.	XV.	*Octavianus* III. *& Corninus.*		
723.	XVI.	*Octavianus* IV. *& Craſſus.*		INT. VIT. V.
724.	XVII.	*Octavianus* V. *& Appulejus.*		* Hoc anno fixus eſt
725.	XVIII.	*Octavianus* VI. *& Agrippa* II.		annus Ægyptius.
726.	XIX.	*Octavianus* VII. *& Agrippa* III.		INT. VIT. VI.
727.	XX.	*Octavianus* VIII. *& Taurus.*		
728.	XXI.	*Octavianus* IX. *& Silanus.*		* Locus veræ.
729.	XXII.	*Octavianus* X. *& Flaccus.*		INT. VIT. VII.
730.	XXIII.	*Octavianus Aug.* XI. *& Murena.*		
731.	XXIV.	*Marcellus & Arruntius.*		
732.	XXV.	*Lepidus & Lollius.*		INT. VIT. VIII. *
733.	XXVI.	*Appulejus & Nerva.*		
734.	XXVII.	*Saturninus & Peſpillo.*		
735.	XXVIII.	*Marcellinus & Lentulus.*		INT. VIT. IX.
736.	XXIX.	*Furnius & Silanus.*		* Locus veræ.
737.	XXX.	*Abenobarbus & Scipio.*		
738.	XXXI.	*Druſus & Piſo.*		INT. VIT. X.
739.	XXXII.	*Craſſus & Lentulus.*		
740.	XXXIII.	*Tib. Nero & Varus.*		*
741.	XXXIV.	*Meſſalla & Quirinus.*		INT. VIT. XI.
742.	XXXV.	*Tubero & Maximus.*		
743.	XXXVI.	*Iulus & Fabius.*		
744.	XXXVII.	*Druſus & Criſpinus.*		INT. VIT. XII. *
745.	XXXVIII.	*Conſorinus & Gallus.*	1	Anni XII. ſine
746.	XXXIX.	*Nero & Piſo.*	2	Biſſexto.
747.	XL.	*Balbus & Vetus.*	3	
748.	XLI.	*Auguſtus* XII. *& Sulla.*	4	CHRISTI NAT.
749.	XLII.	*Sabinus & Criſpus.*	5	VERVS.
750.	XLIII.	*Lentulus & Meſſallinus.*	6	
751.	XLIV.	*Auguſtus* XIII. *& Silvanus.*	7	
752.	XLV.	*Lentulus & Piſo.*	8	CHR. N. CENS.
753.	XLVI.	*Caius Caſar & Paullus.*	9	I.
754.	XLVII.	*Vinucius & Varus.*	10	II.
755.	XLVIII.	*Lamia & Geminus.*	11	III.
756.	XLIX.	*Catus & Saturninus.*	12	IV.
757.	L.	*Cinna & Meſſalla.*		V.
758.	LI.	*Lepidus & Arruntius.*		VI.
759.	LII.	*Nerva & Metellus.*		VII.
760.	LIII.	*Camillus & Quinctilianus.*		VIII.

BISSEX-

Digitized by Google

BISSEXTVM hoc ab Augusto primum, secundum fuerit Epochę Christianę. Annus enim Iulianus quinquagesimus tertius, cùm ex nova emendatione Bissextilis esset, non potuit nisi in octavum Christi incidere; imò non potuit, nisi in Bissextilem. Omnino, aut octavus, ut & quartus Christi Bissextilis est, ipseque Christus vero natus Bissextili; aut hunc nostrum ∞. IDC. XXXVI. neges esse. Sic verò natum, sic tempora computari, ipse calculus noster & Cyclus indicant. Vt enim cuiusque seculi quartus; sic Vigesimus, Centesimus, Millesimus, sic denique noster hic Trigesimus sextus Bissextilis est; qui à primo Augusti Bissexto quadringentesimus octavus; à primo Christi, quadringentesimus nonus numeratur. Constanti sic quidem hucusque serie Bissexta extensa esse, inviolatus anni calculus testatur. Quippe ex hac emendatione Augusti, Solino teste, *velut disciplinâ quâdam, omnium posteà temporum fundata ratio est.* Quid Ammianus? Solinum exprimit: *Hanc rationem Bissexti probatam etiam victura cum seculis Roma adiumento numinis divini fundavit.* Macrobii de Augusto verba vim hîc suam habent, antea allata: *Omnem hunc ordinem aere tabulâ ad aternam custodiam incisione mandavit.*

Digitized by Google

CAPVT XII.

In Biſſexto Prior an Poſterior dies intercaletur. Iuriſconſultorum veterum opinio propoſita, examinata, rejecta. Pupillus quomodò Hercules. Dies Intercalaris quando in lucro. Quid ſit, Dies Intercalaris proficie Tempori.

RESTITVTO igitur Biſſexto, & in uſum producto, non una doctis controverſia exorta. Prima ac præcipua fuit: Prior, an Poſterior dies intercaletur. Cùm uterque Biſſextus ſit, alter novus, alter vetus; novus dubites veteri, an vetus novo cedat, aut accedat; imò, uter novus. Qui de jure reſpondent, Poſteriorem eſſe novum, & adjungi volunt, atque id biduum pro uno die haberi. Verba Celſi ſunt, lege XCVIII. De Verborum ſignificatione: *Cum Biſſextus Kalendis eſt, nihil refert, utrum priore, an poſteriore die quis natus ſit, & deinceps Sextus Kalendas ejus natalis dies eſt. Nam id biduum pro uno die habetur: ſed poſterior dies intercalatur, non prior. Ideò, quo anno intercalatum non eſt, ſexto Kalendas natus, cùm Biſſextus Kalendis eſt, priorem diem natalem habet.* Verba item Vlpiani, lege III, De Minoribus: *Si Biſſexto*

Digitized by Google

Bissexto natus est, sive priore, sive posteriore die, Celsus scripsit nihil referre. Nam id biduum pro uno die habetur, & posterior Kalendarum intercalatur. Nimirum quasi accedat, & priorem duntaxat extendat. Poterat igitur Bissexto Hercules gigni, si biduum satis erat, & sine prodigio fortis esse. Satis, si Propertium audimus, lib. II. Eleg. XVI.

Iupiter Alcmenæ geminas requieverat Arctos,
Et caluum noctu bis sine Rege fuit.

Imò si D. Hieronymum, epistola adversus Vigilantium: *Duas noctes Iupiter copulavit, ut magnæ fortitudinis Hercules nasceretur.* Non frustrà Tragicus Agamemnone:

Sensit ortus, sensit occasus
Herculem nasci: violentus ille
Nocte non unâ poterat creari.

Poterat Bissexto; & uno tamen die. *Nam id biduum pro uno die habetur.* Pupillum hic respexit Iurisconsultus, & quodammodò Herculem fecit: sed Posteriorem, non Priorem diem intercalari, id verò quamvis jura statuant, à temporis ratione alienum est. Vtrum dicam? Diem legi obnoxium esse? an legem dici? Breviter: Intercalaris Terminalia inter & Regifugium medius est, quemadmodum docui: ergò prior. Item septimus Ka-

Digitized by Google

lendarum Martii Terminalia habet, Sextus Regifugium; sed qui intercalatur ante Sextum est, & tamen Sextus: ergo prior. An etiam clarius? Regifugium Sextus Kalendis est, ut Iuniconsulti formula utar; ante Regifugium dies intercalatur: ergo ante Sextum Kalendis. Res manifesta est. Sed Celsus, & ejus auctoritatem secutus Vlpianus, in gratiam pupilli, sive illius, qui natu viginti quinque annis minor est, Bissextum invertit, Prioris loco diem Posteriorem intercalando. Vis igitur legis, ad restitutionem in integrum referendæ, hæc est: Siquis eo anno, quo intercalatum non est, sexto Kalendas natus sit, quoties de anno deinceps, quo intercalatum est, agitur, Priorem diem; Natalem ejus censeri. *A momento enim in momentum* (ut formulam juris sequar) *tempus spectatur*. Siquis verò eo anno, quo intercalatum est, sexto Kalendas natus sit, nihil referre, Priorem diem, an Posteriorem computes. Totum enim pro die uno biduum accipi. Queri præterea Marcellus Iurisconsultus ait, lege 111. De Diversis temporalibus præscriptionibus, *In tempore constituto judicatis, an Intercalaris dies prosicere judicato, nec ne debeat?* Item *De tempore, quo lis perit*. Existimat igitur,

Auctum

Digitized by Google

Auctum litis tempus Intercalari die augeri. Quin etiam, *Augeri, si de usucapione, quæ tempore constituto expleri solet, sit quæstio: aut de actionibus, quæ certo tempore finiuntur, ut ædilitiæ pleraque.* At verò, *Si quis fundum eâ lege vendiderit, ut nisi in diebus triginta pretium esset solutum, inemptus esset fundus; diem Intercalarem tempori non proficere.* Ita enim rectius, quàm *emptori.* Verba legis sunt: *Dies Intercalaris proficie Tempori. Mihi contra videtur.* Thîc magnum, sive Latinum, ut solet, pro duplici ponitur, ut claudat vocem *proficiet*, & incipiat *tempori.* Aliter ergò leges, aliter contrahentes tempora supputant. Addo: aliter Astronomi, aliter Iurisconsulti.

CAPVT XIII.

Verba Celsi I. C. De Extremo Februarii die, de quo mense Intercalari XXVIII. *dierum. Diem Extremum non vigesimum octavum, sed vigesimum tertium esse: mensem Intercalarem vel ad Mercedonium, qui intercalari solet, vel ad Februarium, quo intercalatur, referri posse. Cujacii ingeniosa, sed titubans interpretatio. Budæi & Alciati facilis, sed fallax: nostra nova, & manifestis rationibus firmata.*

Digitized by Google

NVNC quoniam in hoc sermone sum, reliqua etiam lubet verba legis, Si BISSEXTVS, De verborum significatione, quà ad mensem Intercalarem faciunt, examinare. Sunt ista: *Cato putat, mensem Intercalarem additicium esse, omnesque ejus dies pro momento temporis observat: extremoque diei mensis Februarii attribuit Quintius Mutius. Mensis autem Intercalaris constat ex diebus viginti octo.* Catonis nomen, imò Mutii, etiam hic nobis magnum est. Sed cùm totum ille pro momento mensem observet: quid mirum, biduum pro uno die haberi? Extremum verò Februarii diem, quem proponit Mutius, non vigesimum octavum, sed vigesimum tertium intellige; pridie nihilominùs Kalendas, non Martias, sed Intercalares, sive Mercedonias: quemadmodum liquidò mox assertum ibo. Mensis etiam Intercalaris definitur: uter obsecro? an Februarius, quo intercalatur? an Mercedonius, qui intercalati tempore Reipublicæ solet? Si Februarius, de die quæstio est; si Mercedonius, de mense, qui diem adhuc extremum quærit. Budæus & Alciatus, alter Galliæ, alter Italiæ insigne decus, Februarium accipiunt; Cujacius, utriusque ad se famam trahens, Mercedonium. Tu vide, unum, an duos,

Digitized by Google

an duos, imò plures sequi malis. Cujacius quidem, ad titulum De verborum significatione scribens, Mercedonium istum, sive Intercalarem, constare existimat partim 27. partim 28. diebus, & Octäeteride Græcorum constitui; qui octavo quoque anno, ut Lunam cum Sole exæquarent, nonaginta dies, in tres menses tricenarios distributos, intercalabant. Quotannis enim dies undecim in summam computati, octennio uno 88. conficiunt: adjunctis bis quaternis quadrantibus, 90. Hæc è Macrobii libro 1. Saturnal. cap. XIII. Sed Romanos vult Cujacius, cùm annum suum, superstitione imparis numeri, diebus 355. constituerent, octennio uno dies collegisse 82. Octoginta quidem, ratione dierum, duos ratione quadrantium. Ex hisce tres menses compositos & intercalatos fuisse: duos, 27. unum, 28. dierum. Bis enim 27. & semel 28. facere 82. Mensem igitur istum majorem à Celso hic definiri, & Intercalarem, sive additicium esse. Budæus & Alciatus simpliciter Februarium accipiunt: hunc enim 28. dierum esse, quamvis anno Bissextili 29. recipiat, cùm biduum pro uno die habeatur. Celsum etiam numerum dierum mensis Intercalaris, non è Catonis aut Mutii sententia, sed è sua definivisse.

Digitized by Google

finiviſſe. Quid dicam? Majori ingenio Cujacius quàm fulcro nixus, invenit menſem, qui apud Romanos non fuit. An apud Græcos? At hi (ut Macrobii verba, ſupra cap. 111. citata, ſequar, & in compendium contraham) *e nonaginta diebus, octavo quoque anno collecti* (undecim enim quotannis ſuperant) *tres menſes, tricenum ſingulos dierum componebant.* Menſes, inquam, intercalares: *quoniam*, ut idem ait, *operoſum atque difficile erat, omnibus annis undecim dies & quadrantem intercalare.* Quid Romani? *Hunc ordinem* (trium menſium) *imitari conati ſunt: ſed fruſtra: quippe fugit eos, unum diem additum eſſe ad Græcum numerum, in honorem imparis numeri.* Græci enim annum ſuum 354. circumducebant diebus; Romani, 355. Ut paucis expediam, *Per octo annos nonaginta quaſi ſuperfundendos, Græcorum exemplo, computabant dies, alterniſque annis binos & vicenos, alternis ternos & vicenos Intercalares expenſabant, intercalationibus quatuor.* Bis enim 22. bis item 23. dies nonaginta ſimul conjungunt. Sed turbabat rationem unus ille, qui octavo quoque anno novos octo ἐπεβαινοντας cumulabat. *Hoc quoque errore jam cognito, hac ſpecies emendationis inducta eſt.*

Tertio

Digitized by Google

Tertia quoque octennio (quo viginti quatuor exsurgebant dies) *non nonagintа, sed sexagintа sex intercalabant, compensatis viginti quatuor diebus; pro illis, qui per totidem annos, supra Graecorum numerum creverant.* An clarius? à 90. diebus dempti 24. relinquebant 66. materiam trium mensium ἐμβολίμων, qui vicenis binis singuli diebus constarent. Vt haec sunt, satis, ut opinor, liquet, Cujacii calculum, tametsi eruditum, à veri ratione aberrare. Et tamen cum eodem contra Budæum, atque Alciatum sentio, Mensem Intercalarem Celsi, ad Mercedonium, non ad Februarium referendum esse: non ad eum, quo intercalatur; sed qui: ad eum, qui viginti trium dierum est; & vicenis tamen octonis computatur. Alter enim, ille viginti duorum, ad vicenos septenos duntaxat extenditur. Vt paucis dicam, Februarius, qui mensi advenae locum & hospitium dabat, inter Terminalia & Regifugium, sive post vigesimum tertium diem findi solet, mensemque Mercedonium, alternâ annorum vice recipiebat. Reliqui quinque Februarii dies, sive ἐπαγόμεναι, Mercedonio minori aggregati, viginti septem; majori, viginti octo conficiebant. Aggregari solitos, verba Varronis, suprà allegata,

Digitized by Google

confirmant: *Duodecimus mensis Februarius: & cùm intercalatur, inferiores quinque dies demuntur mense.* Post Eidus igitur Februarias undenæ Kalendæ Intercalares numeratæ. Quinctum Kalendas Intercalares Cicero exprimit pro Quinctio. *Die Nævi diem. Ante v. Kalendas Intercalares:* qui est vigesimus Februarii. Item: *Dejicitur de fasti Quinctius, pridie Kalendas Intercalares:* id est, Terminalibus, sive vigesimo tertio Februarii; quem ultimum hîc appello. Kalendas ipsas Intercalares, sive primum Mercedonii diem in Fastis Triumphalibus invenias, de Duilio: C. DVILIVS. M. F. M. N. COS. PRIMVS TR. NAVALEM. DE. SICVL. ET. CLASSE. POENICA. EGIT K. INTERCALAR. Post Eidus verò Intercalares mensis Mercedonii, sive diem decimumtertium, Kalendæ Martiæ numerari cœptæ, tanquàm posteriores; avulsoque Februarii quinque dies suo jam numero comprehendebant. Eiduum mentio in iisdem Fastis: L. CORNELIVS. L. F. TI. N. LENTVLVS GAVDINVS. COS. DE. LIGVRIB. IBID. INTERCAL. Sed mense Intercalario Kalendas Martias numeratas esse Asconius asserit, in Milonianam scribens: *Pompejus ab Interrege Ser. Sulpitio, v. Kal. Martias mense Intercalario Consul creatus est.*

Livius

Digitized by Google

Livius quoque, lib. XXXVII. de L. Scipione Asiatico: *Triumphavit mense Intercalario, prid. Kal. Martias.* Decimoquarto igitur Februarii die Kalendæ Intercalares initium suum capiunt, suntq; undecim: decimoquarto verò Mercedonii, Kalendæ Martiæ, & post vigesimumtertiũ quinque ἐπαγομένας assumunt. Summa hæc est, Februarium, qui viginti octo dierum erat, viginti tribus: Mercedonium, qui viginti trium, viginti octo computari. De viginti duobus frustra dico: uno Kalendæ die deficiebant. Res ad tabulam ducenda est, ut, non legi tantùm, sed cerni possit, & facilius intelligi.

Digitized by Google

MENSES ET DIES ANNI ROMANI ANTIQUI.

Annus Rom. Antiquus,

Simplex, in quo Menses XII.

Januarius,	XXIX.
Februarius,	XXVIII.
Martius,	XXXI.
Aprilis,	XXIX.
Majus,	XXXI.
Junius,	XXIX.
Quinctilis,	XXXI.
Sextilis,	XXIX.
September,	XXIX.
October,	XXXI.
November,	XXIX.
December,	XXIX.
	CCCLV.

Intercalaris, in quo Menses XIII.

Januarius,	XXIX.
Februarius,	XXIII.
Mercedonius,	XXVII.
vel,	XXVIII.
Martius,	XXXI.
Aprilis,	XXIX.
Reliqui, ut suprà, in Anno Simplici.	
	CCCLXXVII. *vel* CCCLXXVIII.

ANNI

Digitized by Google

ANNI INTERCALARIS

FEBRVARIVS.

DIES.	1.	KAL. FEBR.
	5.	NON.
	13.	EID.
	14.	XI. KAL. INTERC. *Mensis* MERCEDONII.
	15.	X.
	16.	IX.
	17.	VIII.
	18.	VII.
	19.	VI.
	20.	V. *Hujus diei meminit Cicero, oratione*
	21.	IV. *pro Quinctio.*
	22.	III.
	23.	PRID. KAL. INTERC. TERMINALIA. *Hujus item Cicero, & eâdem oratione.*

Hi quinque dies reliqui, loco suo mensi Mercedonio adjungebantur: ut supra cap. III. ostendi.

Digitized by Google

MERCEDONIVS.

DIES 1. KAL. INTERCALARES. *Hoc die triumphum*
5. NON. *Navalem egit Duilius.* Fasti.
13. EID. *Hoc die de Liguribus triũphavit Claudius.*
14. XVI. KAL. MART. *Hic dies, in mense Mercedonio* XXII. *dierum, omittebatur.*
15. XV.
16. XIV.
17. XIII.
18. XII.
19. XI.
20. X.
21. IX.
22. VIII.
23. VII. *Hi sunt* XXIII. *dies Mercedonii.*
24. VI. REGIFVGIVM. ἰναγόμενα.
25. V. *Hoc die Pompejus* XII. *Consul creatur.*
26. IV. ASCON.
27. III.
28. PRID. KAL. MART. *Hoc die Scipio Asiaticus triumphavit.* Fasti.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT XIV.

Nundinas Romanas Biſſexto etiam dirigi. Cyclus Nundinalis cum noſtro Solis comparatus. Iſtic ogdoades dierum totidem Litteris; hîc heptades, totidem computari.

A Menſe ad Diem redeo, à Republica ad Cæſarem; qui plus uno die ſuo, quàm toto Reſpublica menſe potuit. Die, ſed Intercalari: die, ſed Biſſexto, anni fulcro, temporum freno, ſiderum ſigillo. Nihil in Romano Hemerologio ſolennius Nundinis fuit, ſingulari nobis libro deſcriptis. Sed hæ cùm vagæ & incertæ eſſent, novamque quotannis ſedem ſortirentur, ſuum & Cyclum & circulum Biſſexti ratione acceperunt. Nundinarum loco, diem Chriſtiani Solis, ſive Dominicum, feſto ac præcipuo Religionis ritu habemus, tantò lætiorem ac illuſtriorem reliquis, quantò in cælo ſidus eſt, à quo minora lucent. Sed illæ, Nundinæ erant, quaſi Novemdinæ: noſtræ, ut ſic appellem, Octundinæ. Illæ octo dierum, totidemque litterarum laterculo, quadragies quinquies repetito, quotannis decurrebant, quinque in fine ſuperfluis, cum quadrante.

Noſtræ,

Digitized by Google

Noſtræ, ſeptenario conſtant numero, tanqnàm curriculo; quæ Hebdomades ſunt, & anno vertente quinquagies bis revertuntur, relicto die uno, & unius quadrante. Hinc Cyclus Nundinalis, in uſum priſcum: & Solaris, in noſtrum: alter ogdoade ſuâ, alter heptade, annum abſolvens Magnum, & exæquans. Eò enim uſque quadrans diei (qui & unum illum ſuperfluum, & quinque includit) producto annorum numero, cumulandus eſt, donec in ogdoadem dierum, vel in heptadem excreſcens, totum alterutrâ jam plenâ annum abſolvat: ogdoade quidem, triginta duorum annorũ ſpatio; Heptade, viginti octo. Cyclus igitur Nundinalis, ſuâ confectâ periodo, per octo Biſſexta Nundinas in ordinem revòlvit: ille noſter Solis, ſuos quoque implet varietatis annos, priuſquàm pleno laterculum ordine innovet, ſeptem Biſſexta includens. Quadrans enim diei, ut diem conſtituat, quadriennio indiget. Octo item quadriennijs, & ſic totidem Biſſextis opus, ut ogdoadum; ſeptem, ut heptadum periodus deſcribatur: octo autem, triginta duos annos; ſeptem, viginti octo conſtituunt. In Cyclo ſic quidem Nundinarum, anni vertentes ſinguli ogdoades complectuntur 45. dies 5.

Digitized by Google

dies 5. cum quadrante: in Solis, vertentes singuli heptades 52. diem 1. cum quadrante. Quid tandem? Ex annis 32. qui Cyclus Romanus est, sive annus Magnus Nundinalis, ogdoades dierum proveniunt 1440. ex totidem quinque diebus superfluis, ogdoades 20. ex totidem quadrantibus, ogdoas una. Sunt igitur in annis plenis 32. ogdoades 1461. sive dies 11688. At verò ex annis 28. qui Cyclus Christianus est, sive annus Magnus Solis, heptades 1456. ex totidem diebus, heptades 4. ex totidem quadrantibus, heptas una. Sunt igitur in annis plenis 28. heptades 1461. sive dies 10227. Mirum profectò: tot heptades vides, quot ogdoades erant; vides utrumque hactenus cyclum quodam velut numerorum mysterio conspirare, Nundinarum, & Solis. Quod caput est, nostræ illæ septem dierum Litteræ, sive notæ, A B C D E F G, viginti octo annis variantur, & Cyclum constituunt: Romanæ octo, A B C D E F G H, totis triginta duobus. Viginti præterea octo anni septem Bissexta constituunt triginta duo, octo.

LI-
CAN.

CAPVT XV.

Bissextorum computatio. Christus anno natus Bissextili. In Cyclo Solis septena Bissexta: in saeculo Cycli tres; Bissexta quatuor. Totus ad facillimum & extemporale calculus compendium redactus.

CYCLI Bissextis computantur. BISSEXTORVM initium duplex: Profanum, & Sacrum. Alterum à vel Iulio, auctore suo, vel ab Augusto instauratore; alterum à Christo nato, quæ sanctissima temporum nostrorum epocha est, sumas. Natus autem Christus, qui Homo & Deus est, anno Bissextili, Cycli nono. Litteris DC; ut Deum his eisdem notis agnoscas, qui homo factus est; & Christum esse Deum, qui homo hominum causâ mortuus, ut nonnisi per ludibria, tormenta, cruciatus, ad se rediret, ab hominibus non discederet. Annum igitur Bissextilem Dei appello: fuitque primus Christi, primus à Bissextili: quo deinceps calculo quartum Christi, octavum, duodecimum, decimum sextum, vigesimum, omnesque porrò quartos, Bissextiles computamus. Quemadmodum verò in Cyclo

Digitized by Google

Cyclo unoquoque, sive vicenis octonis annis, septem Bissexta: ita in centuria viginti quinque inveniuntur: Cycli, inquam, tres, Bissexta quatuor. In toto igitur Christiano hactenus ævo, sive annis 1636. Bissexta sunt, ut dixi, 409. sed Cycli 38. Bissexta 3. Etenim quaterni quique anni Bissextum unum constituunt; octoni, duo; viceni, quinque; centeni, vigintiquinque; milleni, ducenta quinquaginta. Totam seriem tabella exhibeat.

ANNI.	BISSEXTA.
4.	I.
8.	II.
12.	III.
16.	IV.
20.	V.
24.	VI.
28.	VII.
32.	VIII.
36.	IX.
40.	X.
44.	XI.
48.	XII.
52.	XIII.
56.	XIV.
60.	XV.
64.	XVI.
68.	XVII.
72.	XVIII.
76.	XIX.
80.	XX.
84.	XXI.
88.	XXII.
92.	XXIII.
96.	XXIV.
100.	XXV.
1000.	CCL.

Sed annos Bissextiles singulos distinguere, & sine numeris, ut sic dicam, numerare, ad argumenti pretium faciet: scire, inquam, in toto

Digitized by Google

unoquoque sæculo, & extempore: Quinam Simplices, quinam Bissextiles sint, & quoti à Bissextili. Anni decimi, ut singuli habendi: alii pares, alii impares. Pares sunto, 20. 40. 60. 80. 100. quemadmodum. 2. 4. 6. 8. 10. Impares, 10. 30. 50. 70. 90. quemadmodum. 1. 3. 5. 7. 9. Decimi igitur pares, Bissextiles sunt: Quarti item & Octavi, qui Decimos pares sequuntur: omnes enim quarti sunt. Decimi impares, Bissextiles non sunt, sed Secundi, inde, & Sexti: nam & hi quarti. An luce opus?

ANNI IN QVOVIS SÆCVLO BISSEXTILES.

DECIMI.	QVARTI.	OCTAVI.	SECVNDI.	SEXTI.
20.	24.	28.	12.	16.
40.	44.	48.	32.	36.
60.	64.	68.	52.	56.
80.	84.	88.	72.	76.
100.	4.	8.	92.	96.

Paucæ hæ omnino regulæ sunt, & ad unam quoque rediguntur. Etenim dati anni cuiuscumque numerus in partes si duas æquales & pares dividi potest, Bissextilis est: si non potest, Simplex. Vt annus XCVI. quia in bis 48. abit, æquales & pares, Bissextilis est. Sic XCII. in 46. LXXXVIII. in 44. LXXXIV. in 42. LXXVI. in 38. LXXII. in 36. quæ & reliquorum ratio est.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT XVI.

Manum Litterata, pollice indiceque Litteras annorum omnium Hebdomadicas tam Simplicium quàm Biſſextilium citius exhibens, quàm numerans. Ordo ac digeſtio motum cali in annis; Solis, in diebus repræſentandis ſequitur. Annorum alii Singuli, alii Decim, alii Centeſimi ſunt: duplici quoque modo ac methodo, ſive Iulianos Faſtos, ſive Gregorianos ineas, inveſtigandi. Centeſimi cur in Simplices rurſus diſtinguantur, & quomodò in numerato ſint.

MAIORIS videtur momenti eſſe, ſingulorum tam Simplicium, quàm Biſſextilium Litteras Hebdomadicas inveſtigare: non majoris operæ, ſi manu meâ utaris. Alios certè calculos, alias tabulas, alia æra non deſideres. Facient digiti, quod numeri; geſtus, quod abacus; & dies omnes unâ hebdomade, annos omnes uno ſeptennio repræſentabit. Cum Ariſtophane dicam: τὶ δῆτα χεῖρες ἂν οὐκ ἐργασαίατο: *quid tandem non efficiant manus?* In indicem ſiniſtræ pollicemq; heptas Litterarum digerenda eſt. Verticem indicis A occupet; proximi deinde articuli

Digitized by Google

lineam, B; sequentis, C; radicem, D; imum pollicem, E; medium, F; summum, G. Hic litterarum, imò dicrum numerus continuo in orbem ductu revolutus & quinquagies bis sumptus, annum, addito quidem die uno, simplicem; bis uno, Bissextilem extendet. Sed unus ille quotannis Decembrem claudit, & vere ultimus est: alter, è quatuor quadrantibus conflatus, inter septimum & sextum Kalendarum Martii quarto quoque anno collocatur, & Intercalaris, sive Bissextus est, Græcè, ἐμβόλιμος ἡμέρα, annumque Bissextilem facit. Singuli sic quidem Simplicesque anni suam sibi Litteram vindicant; Bissextiles, sive Quarti, binas. Sanè per Litterarum hæc vestigia & dies, sed dextrorsum; & anni, sed sinistrorsum eunt. Dies cum cælo, anni cum Sole. A Christo ordimur, τοῦ θεοῦ, & hunc Bissextili, Litteriq; natum esse DC, dixi. Primus igitur, qui epochæ nostræ caput est, in proximo articulo B constituendus, secundus in A, tertius in G, quartus in F E, quia Bissextilis, quinctus in D, sextus in C, septimus in B, octavus in A G, quia Bissextilis, nonus in F, decimus in E, undecimus in D. Facilis computatio est: sed manus loquatur.

Digitized by Google

Digitized by Google

Singuli ad hunc modum anni computati, Litteras suas inveniunt. Denarii insuper, Centenariique quærendi, nequid majori in summa aut molestum aut morosum sit. Quærendi compendio, quod inverso numerorum ordine, recto Litterarum dirigetur. Ac Denarii quidem, cùm partim Simplices, partim Bissextiles sint, pares, aut impares; singulis, vel geminis quoque Litteris (quarum prior posteriorem occupat locum) notantur ac constant. Decimus charactere E, Vigesimus F G, Trigesimus A, Quadragesimus B C, Quinquagesimus D, Sexagesimus E F, Septuagesimus G, Octogesimus A B, Nonagesimus C, Centesimus D E, qui anno Natali C D innexus est, reliquosque eodem gyro Centenarios ducit. Sequitur igitur Ducentesimus litteris E F, Trecentesimus F G, Quadringentesimus G A, Quingentesimus A B, Sexcentesimus B C, Septingentesimus C D, Octingentesimus D E, Nongentesimus E F, Millesimus F G, Millesimus centesimus G A, Millesimus ducentesimus A B, Millesimus trecentesimus B C, Millesimus quadringentesimus C D, Millesimus quingentesimus, ultimusque Centenarius Iulianus D E, velut desinens, quemadmodum primus fuit. Hinc etiam Denarii, Singuli-

Digitized by Google

Singuliqúe ad annum LXXXIII quo à GREGORIO XIII. correcti sunt Fasti, numerantur. Denarii quidem, eodem quo Centenarii vestigio. Post Millesimum enim Quingentesimum DE, Decimus Litteram habet F unam, quia Simplex; Vigesimus G A, duas, quia Bissextilis; Trigesimus B, Quadragesimus C D, Quinquagesimus E, Sexagesimus F G, Septuagesimus A, Octogesimus B C. Singuli verò contrario, ut dixi, ordine ac viâ: Octogesimus primus A, Octogesimus secundus, & ultimus Iulianorum G. Hoc enim anno Gregoriani introducti sunt, &, decem exemptis diebus, post IV. Non. Octobris, qui Iovis erat, Litterâ D, ipsæ Eidus postridie numeratæ. Venus igitur mutavit sedem, præteritisque E F G A B C D E F G, ad A transmigravit. Idem dies erat, alia Littera; idem nomen diei, alius numerus, in suum jam locum Sole, unde præcipitatus erat, cum Æquinoctiis Solstitiisque redeunte. Ab Octogesimo igitur secundo anno, quo mutata Solis est Littera Iuliana G, in Gregorianam C. nova exordium computatio Cycli habuit. Octogesimo deinde tertio B obvenit, quarto A G, quinto F, sexto E, septimo D, octavo C B, nono A, Nonagesimo G, primo E, secundo E D, tertio C,

Digitized by Google

quarto B, quinto A, sexto G F. septimo E, octavo D, nono C. Sexcentesimo supra Millesimum B A. Novi sic verò saeculi primus annus verticem pollicis, sive litteram G occupavit, secundus F, tertius E, quartus D C, quintus B, sextus A, septimus G, octavus F E, nonus D, Decimus C. Inde reducto secundùm Literarum seriem gradu, Vigesimus, Trigesimus, Quadragesimus, reliquique denarii numerantur: cum discrimine tamen annotum Simplicium, Bissextiliumque. Denarii enim pares, ut docui, Simplices sunt, unâ singuli litterâ; pares verò, Bissextiles, geminatâ. In Centenariis alia observatio: qui Bissextiles hactenus omnes fuêre, ex Edicto Cæsaris, in posterum distinguendi. Fuêre, numeri lege, quia quarti. Vt enim Vigesimus Bissextilis est, quia quinto loco & conversione quartus: ita Centesimus, quia quinto loco vigesimus. Distinguendi verò deinceps in Simplices, & Bissextiles. Quam ob caussam? Ne annus Iulianus semel à GREGORIO correctus, in eandem perturbationem incidat; imò, quia incidet, ut errori obviàm eatur. Error à fonte est: quippe dies Intercalaris, quia è quadrantibus non plenis conficitur, nec ipse plenus est; cùm tamquàm plenum computemus.

Digitized by Google

cemus. Defectus hic undecim scrupulorum est, quæ quadringentorum annorum decursu triduum componunt; octingentorum, bis triduum; mille ducentorum, ter. Cæsarem an accusem? Sive nesciverit pauca quadranti deesse in plena periodo scrupula, sive neglexerit, quia satis non sciret; viam errori aperuit, quo labi & luxari paulatim anni ratio cœpit, & à cardinibus suis diuelli. Hos reduxit Gregorius, & simul emendavit, quicquid inde à temporibus Concilii Nicæni, sive Constantini Magni, excessu intercalari extra legem præcipitatum erat. Hoc erat verè Pontificem esse; injecit manum tempori, curfumque dierum vitiosum novâ diorthôsi sufflaminavit. Frustrà nihilominùs corrigitur error, si non tollitur, relictâ radice, è qua novo incremento anni deformitas pullulet. Quadrans antea, quia plenis partibus computatus, cùm deficeret, in dies malâ fide crevit: adhuc computatur. Semel temporis usura resecta: an mox denuò resecanda? Frustrà curas vitia, si remedia vitia sint: frustrà restituas Fastos, si eodem morbo corruant. Quid tamen est? Ingeniosa nos Pontifeis cura securos esse voluit, eriorem deinceps sine errore habituros. Arcanum hoc nosco, & aliquid ignorasse Cæsarem

Digitized by Google

pronuncia, quod Gregorio deberemus. Vt igitur, undecim semel scrupulorum excessu castigato, ad legem sponte exorbitans rediret Bissexti velocitas, quodam quasi freno ipsa in posterum coërcere sæcula placuit; & in hisce singulorum etiam annorum varietatem intercalando observare. Post Quartum, Octavum, Duodecimum, Decimus sextus nónne Bissextilis est? Omnino, quia quarto loco quartus. Decimus septimus, octavus, nonus, nónne Simplices? Omnino; quia medii, quia nec diebus pleni. Sæcula confer: Decimum sextum (nuper nobis, atque adeò ante novem quadriennia impletum) quia quarto loco quartum, Bissextile est: Decimum septimum verò, octavum, nonum, quia ratione numeri instar Simplicium sunt, sine injuria temporis, diem illum adoptivum, sive Intercalarem deponant. Adjunge Vigesimum, anno Christi bis Millesimo numerandum, & plenâ rursus trecentorum sexaginta sex dierum luce fulgebit. Hac omnino cautione opus erit, ne vacillet ratio temporum: tres enim quadringentorum annorum spatio supprimentur dies, quibus à vero calculus Intercalaris excedit. Vt in Centesimis igitur, Millesimisque Bissexta invenias, & ipsa momento sæcula complectaris.

Digitized by Google

plectaris; ingenio magis, quàm labore opus; manu, quàm ingenio. Centesimos, tanquàm singulos puta & computa: Millesimos, tanquàm Decimos, quos in pares & impares separavimus. Etenim decies centeni, ut sic dicam, tricies, quinquagies, septuagies, nonagies, impares sunt; ideoque simplices. Ducentesimi verò, nec non Sexcentesimi supra hos centenos impares, quia secundorum & sextorum loco numerantur, Bissextum recipient. Vicies deinde Centeni, quadragies, sexagies, octuagies, centies, pares sunt; ideoque Bissextiles. Quadringentesimi quoque, & Octingentesimi, quia quartorum & octavorum vice. Ipsi tandem Millesimi, ut de iis seorsim dicam, in pares deinceps & impares distinguendi. Pares, Bissextiles erunt: bis, quater, sexies, octies, decies Millesimus; quia vigesimo, quadragesimo, sexagesimo, octogesimo, centesimo loco Centesimus. Impares, Simplices: ter, quinquies, septies, novies Millesimus; quia trigesimo, quinquagesimo, septuagesimo, nonagesimo loco Centesimus. Ad manum redeo; ut in hisce quoque annis omnibus litterae, dierum notae, & ex tempore depromptum Millesimus sexcentesimus, qui calculo etiam Gregoriano Bissextilis est, quia decimosexto

Digitized by Google

mosexto loco centesimus, in Indice elementis A B notatur; quarum B prior est, A posterior. Millesimus septingentesimus, & Simplex, proximâ lineâ, & litterâ C. Millesimus octingentesimus, in radice pollicis, litterâ E. Millesimus nongentesimus, in supremo pollice, litterâ G. Bis Millesimus, quia quarto jam loco centesimus, ad Indicem, Litterasque redit A B, & Bissextilis est. Omnes igitur & Centesimi & Millesimi Bissextiles, eisdem litterarum notis insigniuntur, tanquàm propriis & primis, A B. Centesimus post Bissextilem primus, tertiâ C: Secundus quinctâ E: Tertius septimâ G: Quartus denuò primis A B. Atque ita tota calculi varietas per A B, C, E, G, brevi & constanti periodo circumducitur. Reliquæ duæ, D, F, quia Bissextilium loco sunt, & posteriores, in Centesimis Simplicibus neglectæ, eliduntur. Notandum quoque, iisdem Centesimis Simplicibus Gregorianis Singulos quosq; & primos, proximè adhærere, sinistrorsum porrectos numeros: Decimos, litterâ unâ interjectâ, dextrorsum. Etenim annus Millesimus septingentesimus Litteram occupat C. Sed Millesimus septingentesimus primus B, quæ loco & gradu sequitur, atque adeò in ortum. Millesimus septingentesimus

decimus,

Digitized by Google

decimus, non proximam D, sed proximæ proximam E, in occasum. Sic Millesimus octingentesimus litteram occupat E: sed Millesimus octingentesimus primus D. in centesimis neglectam: Millesimus octingentesimus decimus, non F, sed G. Item Millesimus nongentesimus litteram G. Primus F. Decimus non A, sed B. Bismillesimus, quia Bissextilis A B, rationem in Iulianis traditam sequitur, Primumque annum proximâ G. Decimum C recipiet. Quare eadem hic quæ Decimum, etiam Centesimum denotabit.

CAPVT XVII.

Absque Cyclo Litteras Hebdomadicas haberi: Cyclus tamen ad manum relatus. Aliis eum in Veteri Calendario Litteris, aliis in Novo distingui; sed pari utrobique facilitate Litteras cognosci. Indigitamenta temporis. Ad numeros Lector, ut annum sciat Cycli, remissus.

QVI Litteras investigant Hebdomadicas, & numerant, Cyclo Solis, tanquàm aptissimo hebdomadum instrumento uti solent: quos certè non indigemus. In pollice & indice positum est, quicquid & anni omnes, & dies continent;

Digitized by Google

nent; imò quotquot in annis Bissextiles, in diebus Intercalares continentur. In gyrum imus, uno initio, quod à Christi Natali sumitur; nullo, ut sic dicam, fine, qui extendi semper potest. Sed Cyclum tamen ipsum concludi manu, comprehendi digitis posse, quidni ostendo? Ad lucem Bissexti, & ornatum argumenti faciet seriem extendere; non annulis manum sed annis; non gemmis, sed diebus; non auro, sed tempore implere. Cyclus est, quia viginti octo annorum circulus: Solis, quia totam Litterarum Solarium varietatem comprehendit; quæ Bissexti ratione, non poterat nisi viginti octo annis absolvi. Tantum negotii dierum Heptas habet, quia cum anno non desinit. In toto autem Cyclo anni quoque septem Bissextiles inveniuntur; Simplices ter septem: eodem discrimine Litteræ, ter septem singulæ; septem geminatæ. Sed aliter in Antiquo Cyclo, aliter in novo & Gregoriano: ob decem dierum exæresi, quos correctioni Fastorum expensos ferimus. Duravit Antiquus ad annum ∞. 13. LXXXII. qui fuit Cycli XXIII. Litterâ Solari G, secundus ab ultimo Bissextili C B. Sed G in C, decem exemptis diebus, commutata est; ut per has ipsas discas Litteras, rectè à Gregorio Correctum

cum Calendarium esse: quin & Gregorii Correctionisque vocabulo Litteras insinuari.

CYCLVS ANTIQVVS,

Litteris, Anniſque distinctus.

G, B, D, E,
F, E, D, C, A, G, F, E, C, B, A, G, E, D,
1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

A, C, E,
C, B, G, F, E, D, B, A, G, F, D, C, B, A,
15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28.

NOVVS.

C, E, G, B,
B, A, G, F, D, C, B, A, F, E, D, C, A, G,
1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

D, F, A,
E, E, C, B, A, G, E, D, C, B, G, F, E, D,
15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28.

Sed quid numeris opus? Litteras ipsas manus numerat. Primo Cycli Antiqui anno, & Bissextili vertex pollicis medinque articulus tribuuntur, sive Litteræ GF: secundo radix E: tertio infimus index D: quarto proximus articulus C: quinto, rursus Bissextili, linea sub vertice, & ipse vertex BA: sexto summus pollex G: septimo vicinus

Digitized by Google

articulus F; & sic deinceps. Bissextiles junctim omnes reducto dextrorsum ordine, qui Alphabeti est, invenies: primum F G, quinctum A B, nonum C D, decimum tertium E F, decimum septimum G A, vigesimum primum B C, vigesimum quinctum D E, rursusque primum F G. Sed prior hîc in Alphabeto, posterior est in anno. Iam verò primo Cycli Novi, & Bissextili, tribuuntur C B, medius, ut sic dicam gemino articulo Index: secundo summus A; tertio vertex pollicis G; quarto medius articulus F: quincto, & rursus Bissextili, radices pollicis indicisque E D: sexto proximi nodi linea C: septimo adhærens B: & sic de reliquis. Compendio quoque Bissextiles junctim omnes, inverso, ut suprà, ductu constituuntur. Primus litteris B C; quinctus, D E; nonus, F G; decimus tertius, A B; decimus septimus, C D; vigesimus primus E F; vigesimus quinctus G A; ac denuo primus, B C. Hîc etiam, quæ prior in Alphabeto, posterior in anno. Quâ denique ratione, dato quocumque Christianæ epochæ anno, quotus ille in Cyclo fuerit, sit, futurus sit, pronuncies; in Indigitamentis meis explicatum est. Quod opus de Temporibus, temporum adhuc iniquitas supprimit. Nunc ad numeros te remitto;

ut Christi

ut Christi annis, qui nono Cycli natus est, 9. adjungas; collectos per 28. qui totus est Cyclus, dispertiatis. Ita enim numerus divisus Cyclos hactenus impletos; reliquus, annum Cycli labentis indicabit. In exemplum verò, nostrum nunc sume, millesimum sexcentesimum trigesimum sextum, auge, divide: Cyclos quinquaginta octo, annos unum & viginti invenies.

CAPVT XVIII.

In Bissexto alia Mira, alia Ominosa. Ventos ferè eosdem ac tempestates, quadriennio exacto, redire: fœcunditatem vitium explorari. Diversum diei ac anni principium. Quadriennii religio, solennitas, superstitio, error. Dies ipse Intercalaris auspicatus, quia Sextus, quia Perfectus. Numeri Perfecti mysterium, pretium, raritas, denique ratio Geometrica. IO. STVRMII *Iam.*

DIES sic satis expensus, qui annum auget, & Bissextus appellatur; satis Annus, qui Diem recipit, & Bissextilis est. Expensus, ut originem utriusque, formam, naturam intelligamus. Addo quod Mirum est, imò quod Ominosum

Digitized by Google

Mirum est, post quadriennia singula reddi sibi naturam rerum; & quodammodo Intercalarem esse. De ventis atque tempestatibus Eudoxus apud Plinium, lib. II. cap. XLVII. *Omnium redire easdem vices, quadriennio exacto, non ventorum modò, verùm & reliquarum tempestatum magna ex parte. Et esse principium lustri ejus semper Intercalari anno, Canicula ortu.* Columella de vitis fœcunditate quaternis vindemiis explorandâ, lib. III. cap. VI. *Vbi plurimis velut emeritis annorum stipendiis, fides surculo constitit, nihil dubitandum est de fœcunditate: nec tamen ultra quadriennium talis extenditur inquisitio. Id enim tempus ferè virentium generositatem declarat, quo Sol in eandem partem Signiferi, per eosdem numeros redit, per quos cursus sui principium cœperat: quem circuitum meatûs dierum integrorum mille quadringentorum sexaginta unius ἀποκατάστασιν vocant studiosi rerum cælestium.* Rectè iidem numeri, idemque principium hic nominatur. Quia enim ut in Geniahbus ostendi, à media nocte annus Romanis incipit; per ortum, meridiem, occasum circumducendus est, donec desinat, ubi inceperat: desinet autem, si quadriennium productis in diem quadrantibus, computabis.

Digitized by Google

putabis. Non igitur idem semper diei & anni principium est, nec alterius meta alter continetur. Vt novum gignat annus diem, vagus est, & diem perculsit. Recte etiam suo hic spatio ac meatu καλάστασις illa Solis definitur. Annum enim diebus trecentis sexaginta quinque & quadrante ii motiaris, dies quadriennio uno 1461. constitues. Rutis hoc mysterium ne à Sactis quidem Litteris exulat, præscribente quasi Deo cælestem periodi Intercalaris religionem, Leviticr cap. XIX. *Quando ingressi fueritis terram, & plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum. Poma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino. Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt.* Non frustrà etiam quadriennii intervallo celebratos esse ludos Olympicos, à quibus Olympiades, ex professo, & libro singulari docui. Verumenimverò Omnifolum fuisse Bissexti diem, in Antiquitate notatum est. Breviter Macrobius, lib. 1. Saturnal. cap. XIV. *Fuit tempus, cùm propter superstitionem Intercalatio omnis omissa est.* De Valentiniano Imperatore Ammianus Marcellinus lib. XXVI.

Digitized by Google

Nec prodire in medium voluit, Bissextum vitans Februarii mensis, tunc illucescens: quod aliquoties rei Romanæ fuisse cognôrat infestum. Infestum sanè nuper Maximilianus I. Imperator expertus est, quia ignoratum. An narro? Tumultu tum temporis Belgico, cùm de tutela filii, Provinciarum heredis Philippi, ageretur, & refractarios experiretur Ordinum animos, expeditum Brugas versùs militum agmen duxit, anno ∞. CCCC. LXXXIV. in quo oppido rebus suis addictos cives nonnullos habebat, opem invadenti ex compacto suppeditaturos. Dies constitutus erat, pervigilium D. Matthiæ, quod eo anno, quia Bissextili, in vigesimum quartum Februarii incidebat. Maximilianus Bissexti immemor, pridie, ac præmaturè advolans, signa explicat, vim parat, opem conjuratorum exspectat. Sed rebus eo adhuc die in urbe imparatis, consilia, quia perfici nō potuêre, majori etiam damno detecta sunt. Ad carcerem rapti, quos suspicio; ad supplicium, quos arma accusabant. Pars laqueo, pars gladio puniti, Bissexti culpâ periêrunt. Sed hîc tamen error magis, quàm dies accusandus est; casus, quàm annus. Quicquid reprehendi potest, Imperator sustinet, tempora ignoravit. Feliçem potiùs, imò

bis fe-

bis felicem hunc diem dicam, quia Bissextum, hunc annum, quia Bissextilem. Quid enim? Sextus est, & ipso numero sæstimandus, quia Perfectus: Perfectus autem, quia partibus suis impletus. Et quænam partes illæ? 1. 2. 3. Unum sexies, Senarium continet, duo ter, tria bis. Iunge 1. 2. 3. sex conficies. Aptè Boëtius, De Arithmetica lib. 1. cap. XIX. *Senarius habet partem mediam, id est, 3, & tertiam, id est, 2, & sextam, id est, 1. quæ in unam summam si redactæ fiunt, par totum numeri corpus suis partibus invenitur.* Addo è Martiano Capella, lib. VII. De Nuptiis Philologiæ: *Hic autem numerus Veneri est attributus, quòd ex utriusque sexûs commixtione conficitur: id est, ex triade, quia mas, quòd impar est numerus, habetur; & diade, quæ femina, pariter.* Omnis autem numerus, vel Perfectus est, vel major Perfecto, vel Imperfectus. Græcis τέλειος, ὑπερτέλειος, ἀτελὴς. Perfectus, sanus, & similitudine virtutis censetur: sed qui excedit à perfectione, & qui deficit, vitium uterque denotant. Virtutem igitur apud paucos invenias.

Rari quippe Boni: numero vix sunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

Contrà

Digitized by Google

Contrà, nimis illud Biantis verum est: πλείους κακοί. Quod dico, idem Capella dicit: *Hæc numeri genus* (Perfectum) *in aliqua virtute est cætera in vitio, vel exubertate, vel defciente.* Exuberat partibus suis, ut ad exempla, sed proxima veniam, Duodenarius: deficit Octonarius. Duodenarii partes sunt, 1, 2, 3, 4, 6 quæ junctæ conficiunt 16. Octonarii, 1, 2, 4: quæ junctæ conficiunt 7. Vterque igitur, teste Boëtio, aliquid in se monstri habet, & à naturæ ordine ac pulchritudine recedit: alter copiâ sive excessu, alter dispendio sive defectu. Centimanum Gigantem finge, vel Serionem tergeminum, excessisse aperiet: Polyphemum Cyclopem, defectus. *In hos autem numeros* (verba Boëtii sunt) *velut inter æquales intemperantias, medii temperamentum limitis sortitus est ille, qui Perfectus dicitur, Virtutis scilicet amulator; qui nec supervacuâ progressione porrigitur, nec contrà rursus ita diminutione remittitur; sed medietatis obtinens terminum, suis æquus partibus, nec crassatur abundantiâ, nec eget inopia, vt 6, vel 28.* Post Senarium igitur Vigesimus octavus, ille Cyclum Solis continens, Perfectus est: cujus partes, 1, 2, 4, 7, 14, 28. Vnum in 28. vicies octies reperitur; Duo, decies quater; Quatuor,

Digitized by Google

Quatuor, ſepties; Septem, quater; Quatuordecim, bis; Viginti octo, ſemel. Iunge 1,2,4,7,14, vigintiocto exſurgent. Tertius Perfectorum (lubet enim ad bonorum ſummam numeros evehere) 496: partes, 1,2,4,8,16,31,62,124,248, 496. Vnum in 496 quadringenties nonagies ſexies; duo, ducenties quadragies octies; quatuor, centies vicies quater; octo, ſexagies bis; ſedecim, tricies ſemel; triginta unum, decies ſexies; ſexaginta duo, octies; centum viginti quatuor, quater; ducenta quadraginta octo, bis; quadringenta nonaginta ſex, ſemel. Iunge, 1, 2, 4, 8, 16, 31, 62, 124, 248, quadringenta nonaginta ſex exſurgent. Quartus Perfectorum. 8128: partes, 1,2,4,8, 16,32,64, 127, 254, 508, 1016, 2032, 4064. Quinctus, 130816: partes, 1, 2, 4, 8, 16, 32,64,128,256,511,1022, 2044,4088,8176,16352, 32704, 65408. Sextus (& hîc propriè ad Senarium facit) 2096128: partes, 1, 2, 4, 8, 16, 32, 64, 128, 256, 512, 1024, 2047, 4094, 8188, 16376, 32752, 65504, 131008, 262016, 524032, 1048064. Septimus, 33550336: partes, 1, 2, 4, 8, 16, 32, 64, 128, 256, 512, 1024, 2048, 4096, 8191, 16382, 32764, 65528, 131056, 262112, 524224, 1048448, 2096896, 4193792, 8387584, 16775168. Hîc ſiſto, ne aut

Digitized by Google

Nili portus, aut Thebarum portas excedam. Longum etiam ac morosum sit, plures expangere, partes invenire, ad summam cogere: quam hoc solo mox extendas fructu, ne intelligas. Mirum interim, in tot numeris, tam paucos Perfectos esse: in tot hominibus pauciores fortassis bonos. Ad synopsin tamen venio, & primos illos septem simul repræsento: qui omnes, ut & reliqui, in 6. vel 8. alternis sedibus desinunt.

NVMERI PERFECTI.

PRIMVS,	6.
SECVNDVS,	28.
TERTIVS,	496.
QVARTVS,	8128.
QVINCTVS,	130816.
SEXTVS,	2096128.
SEPTIMVS,	33550336.

Primum cum Septimo confer: ille quantillus est! hic quantus! Constituere Primum non potes, nisi sex numeres; nec Septimum, nisi trecenties tricies quinquies centena quinquaginta millia, trecenta triginta sex. Nostro loquendi modo, & numerandi compendio, triginta tres Milliones cum dimidio sunt, quinquaginta insuper millia, trecenta.

Digitized by Google

trecenta triginta sex: qui ultimus numerus à milleſimo ſexcenteſimo epochæ præſentem exhibet. Rari igitur, pretioſi, admirandi hi Perfecti ſunt: inventu quoque difficiles ſunt, nec niſi Diogenis lucernulâ quærendi. Quos ille homines? Bonos: quos ego numeros? qui Bonos exprimant. Quotquot ſunt, toties unum vides. Plures etiam, quantamcumque denario, centenario, millenario, multitudinem faciunt, incrementi terminos à principio capiunt. Vide 1. 10. 100. 1000. & quicquid hinc pendet: termini ſunt, ſed uno omnes conſtant: ſpatia ſunt, & terminis diſtinguuntur. Si percurras omnia, unum ſingula Perfectum numerum, alibi ne unum quidem dabunt. Ab uno ecce ad decem, unus & primus eſt; à decem ad centum, unus & ſecundus; à centum ad mille, unus & tertius; à mille ad decem millia, unus & quartus; à decem millibus ad centum millia, nullus; à centum millibus ad decies centena millia, unus & quinctus; à decies centenis millibus ad centies centena millia, unus & ſextus; à centies centenis millibus ad millies centena millia, ſive centum, ut vocamus, milliones, unus & ſeptimus. Ad perfectionem quoque Perfectorum facit, Triangulares

Digitized by Google

omnes esse; quamvis non omnes, qui Triangulares, Perfecti sint. Et Senarius quidem (ut ingeniosè Clariss. Vir Io. STVRMIVS noster, omnem virtutem candore, omnem doctrinam Matheſi complexus, obſervavit) quatuor omnino modis æqualia latera conſtituit, Novenario, Denario, Vndenario, Duodenario.



In primo triangulo tres primi numeri angulos occupant. 1. 2. 3. in ſecundo, tres impares, 1. 3. 5. in tertio, tres pares, 2. 4. 6. in quarto, tres ultimi, 4. 5. 6. Meditullium in ſingulis ubique lateribus tres reliqui: 4. 5. 6. poſt primos: 2. 4. 6. poſt impares: 1. 3. 5. poſt pares: 1. 2. 3. poſt ultimos.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT XIX.

Annus Milleſimus ſexcenteſimus trigeſimus ſextus peculiari ratione Sextus, imo Biſſextilis. Curioſius & Milleſimus, & Sexcenteſimus & Trigeſimus, ipſe denique Trigeſimus ſextus explicatus. Mundus. τέλειος Pythagorica. numerus Humanus.

AD Diem quia Senarius facit, ad Annum hoc potiſſimùm anno referendus, qui ſextus eſt, qui trigeſimus, qui ſexcenteſimus, qui milleſimus. Millenarius quidem (ὕστερον πρότερον dicam) Plenus eſt, quia Denarii cubus. Etenim è Denario in ſe ducto Centum fiunt; in Centum, Mille, qui numerorum numerus eſt, & abſolutam rerum omnium menſuram continet. Hinc Milliaria, ſingulis olim lapidibus notari ſolita, & ad viæ tædium ſublevandum: ut in Itinerario ſuo Rutilius, lib. 11.

Intervalla viæ feſtis præſtare videtur,
Qui notat inſcriptus millia crebra lapis.

Hinc quæcumque ad infinitum, ſive immenſum accedunt, Mille appellantur. Iam verò Milleſimus Sexcenteſimus, è Quadrageſimo Quadra-

Digitized by Google

gonus est. Quadragies enim quadraginta, mille sexcenta reddunt: quemadmodum & quater quadraginta. Seorsim ipse Sexcentesimus, quia à Senario, aliquid etiam pretii & perfectionis habet: centies enim sex sumuntur, vel centum sexies: sumitur, quoties rem quamcumque, cui addi nihil potest, amplificamus. Sexcenta quoque exempla sunt. Annus deinde Trigesimus, ad meditullium ætatis proximè accedens, Virum facit, robore & ingenio implet, nuptiis tempestivum, curiæ & magistratui, militiæ & armis, victoriæ ac triumphis. Ipse Trigesimus sextus, quia è Senario sexies sumpto, omnibus modis Perfectus est, noviesque Bissextilem circumducit. Ratione quoque Senarii fuêre nonnulli olim, qui, ut suprà cap. IV. è D. Augustino ostendi, singulos ante Diluvium annos tricenis diebus computarent: quasi decem partes anni, decem anni essent. *Quarum partium* (verba repeto) *habet unaquæque Senarium: eò quod Deus sex diebus perfecerit opera sua, ut in septimo quiesceret. Sexies autem sex, qui numerus quadratum Senarium facit, triginta sex dies fiunt: qui multiplicati decies, ad trecentos sexaginta perveniunt, id est, duodecim menses Lunares.* Sed ut ad Trigesimum sextum

Digitized by Google

tum redeam, hic ille numerus est, qui mundum ipsum, ut Pythagorici putant, significat: imò hæc illa Tetractys est, suo quodam mysterio inclyta, quam παγὰν ἀενάου φύσεως, *Fontem æternæ naturæ*, appellare solitus sanctissimus Philosophiæ Conditor, in Iurisjurandi solennem formulam usurpabat. Ne plures laudem, instar omnium Plutarchus erit: Ἡ δὲ καλουμένη τετρακτὺς, τὰ ἓξ καὶ τριάκοντα, μέγιστος ἦν ὅρκος, ὡς τεθρύλληται, καὶ κόσμος ὠνόμασται, τεσσάρων μὲν ἀρτίων τῶν πρώτων, τεσσάρων δὲ τῶν περισσῶν, εἰς τὸ αὐτὸ συντιθεμένων, ἀποτελούμενος: *Qui verò Quaternarius vocabatur, è sex & triginta constans, maximum erat jusjurandum, ut omnium sermone tritum est, & appellabatur Mundus, è primis quatuor paribus, primisque quatuor imparibus constitutus*. Iunge hos pares, 2. 4. 6. 8. & viginti conficies: hos impares, 1. 3. 5. 7. & sedecim coalescent. Iunge 20. & 16. Iusjurandum habebis. Denique, conjunge ab uno omnes, qui ad triginta sex protenduntur, & 666. numerus, inquam, Humanus, & in Thaumatis mihi explicatus, exsurgent. Est prætereà Trigesimus hic sextus, quia è Quaternario Novenarioque in se ductis provenit, Tetragonorum omnium primus, & sic peculiaris. Quater enim

9. vel

Digitized by Google

9. vel novies 4. triginta sex constituunt. Sed nos τετραετὴν ad Annos, & Bissextum referamus, Quaternarium & Novenarium inventuri. In annis enim triginta sex, novem Bissexta sunt: & Bissexta singula quadriennio constant. Imò τετραετὴς Bissextum est, annorum, inquam, Quaternarius: & Bissextum, unius incrementum diei est, qui quarto demum anno completus formatusque, nascitur, toties in lucem rediens, quoties quadriennium Bissextili periodo impletur.

FINIS.

Digitized by Google

ERYCI PVTEANI

CORONA RADIATA,

SIVE

DIERVM

APVD INDOS

DIORTHOSIS.

FASTIS EXÆQVANDIS NECESSARIA:

Libri DE BISSEXTO Appendix.

Ad PHILIPPVM IV. *Hiſpaniarum & Indiarum Monarcham.*

Digitized by Google

Digitized by Google

SVMMO ET AMPLISSIMO VIRO

D. LAVRENTIO RAMIRESIO DE PRADO,

ORDINIS S. IACOBI EQVITI,

REGI CATHOLICO A CONSILIIS INDICIS,

LITTERARVM DELICIO,

ERYCIVS PVTEANVS

S. D.

SERIVM, & simul amœnum hoc ingenii Opus, Vir inter Magnos Doctissime, inter Doctos Maxime, in Munus mitto: Regi nostro, Hispaniarum & Indiarum Monarchæ; sed manu tuâ, manu amicâ offerendum. Quod serium, magnum pronuncies licet; quia tempora omnia continet: quod amœnum, pusillum fortasis; quia Die uno, quam minimam esse temporis partem

Digitized by Google

Antiqui voluerunt, continetur. Breviter: Hoc Opus, hoc Munus, DIERVM APVD INDOS DIORTHOSIS est, & CORONAM appellavi. Venustum censui, tituli pretio exprimere libri materiam; lumine, numero, mysterio pretium commendare. Dies olim, nónne in duodecim horas: Corona nónne in duodecim pariter radios distincta erat? Sol ipse, qui & Diem & Coronam facit, sic pingi solet; non frustra Latini Regis imaginem Poëtâ repræsentante,

--- cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen.

Eandem hoc quoque exemplo Martianus Capella expressit:

Solem te Latium vocitat, quòd solus honore
Post patrem sis lucis apex, radiisque sacratum
Bis senis perhibent caput aurea lumina ferre,
Quòd totidem menses, totidem quòd conficis horas.

Nimirum Annus Corona est, qui mens-

ses, &

Digitized by Google

ſes, & ſigna, velut radios habet: & Dies Corona, qui Horas. Hic verò, cùm novum nuper Hiſpani,

Quà protenta jacent vaſta divortia terra,

inveniſſent Orbem, & Orientis Occidentiſque miſcerent limites, navigationis ambage confuſus eſt: ordinandus nunc tempeſtivè, nequid Auſtriacæ deeſſe gloriæ videatur. Ad te venio, ut ad Regem accedam: ad te ſpectat maximè, quicquid Regi propono. India Temporis errore liberanda eſt; hæc Regis eſt. India; hæc quoque tua eſt, tuis conſiliis, prudentiæ, auctoritati commiſſa. Itaque, ſi Diorthôſis iſta placet, cogita tuam eſſe; ſi Corona, manu tuâ, ut dixi, Regi offeratur. Hoc te rogo, quia tuus ſum: hoc te meo nomine Illuſtriſsimus LVPVS WALTHERVS ZAPATA, quia meus, & tuus: ille Sacri Romani Imperii Comes, ille verè comis, in quo

Digitized by Google

omnem ornare virtutem Græca & Latina eruditio potuit, & omnem sibi Nobilitas elegantiam, humanitatem, modestiam, magno Hispaniæ exemplo, sociavit. Faxit Deus, ut hoc nobis lumen perenne sit! quo reliqua sæculi nox pellatur: & tuum! quo Diem tibi omnium temporum clarissimâ Litterarum famâ vindicas; quo novum nunc Indis, imò Orbi daturus es, si à tuo agnoveris suffragio & ingenii lumine pendêre. Purpura mea nonne luculentissimo Elogio tuo resplenduit? non potest à Purpura Corona separari. Vale. Lovanii in Arce, Kalendis Martiis, ꝏ. ꝏc. xxxvii.

Digitized by Google

ERYCI PVTEANI

CORONA RADIATA,

SIVE

DIERVM

APVD INDOS

DIORTHOSIS,

FASTIS EXÆQVANDIS NECESSARIA.

Ad PHILIPPVM IV. Hiſpaniarum & Indiarum Monarcham.

RADIVS I.

Orbis totus magnitudo Regis: Dies unus materia Operis: Opus Corona.

Eo eo & tempore immenſa mundi ſpatia definita ſunt: quæ ſi tua appellem, REX MAXIME, nullius fortunam violabo. In Orientem & Occidentem ſceptrum extendis, ultimoſque naturæ comprehendens terminos, ſplendidiſſimum ubique jubar ſpargis, & illuſtras omnia. Prorſus, vel cæli imaginem exhibes, vel ipſum

Digitized by Google

ipsum dixerim è Majestatis tuæ solio dimitti quotidie Solem, ac recipi, emensum quicquid possides. Hoc etiam Dies spatio quotidie circumducitur, qui in vastissimo Orbis terrarum ambitu, imperio tamen tuo clausus, neque principium hactenus, neque finem invênit: & ubi inveniſſe visus, in contrarium directâ nuper Hispanorum ac Lusitanorum navigatione, confundi cœpit: sed An in ordinem reducendus? Vbi? Quàndo? Quomodò? Hæc scribo, & à libri formâ Coronam inscribo: quæ cùm radios suos à Regali vertice tuo sumet, vel ipsâ voluminis distinctione, & quâdam velut ἀκλινοβολίᾳ allubescet.

RADIVS. II.

In eodem apud Indos Die duo navigationis errore Dies.

NOVVM recluserat in Occidente Orbem Oceanus, & magis magisque apertus Oriens ac penetratus est. Ad ignotas anteà Solis, hinc emergentis, inde fugientis metas, labore plusquàm Herculeo atum. Naturæ prodigium ne quis desideret, cum cælo Dies mutatus est. Alius, ut ita loquar, in uno fuit: sed invectus, an inven-

Digitized by Google

an inventus? Vtrumque. Nullus hîc tamen cæli error: noster potiùs, quem, quia non intellexi-mus, admirati sumus, tanquàm cælo derivatum. Agnoverunt eum Viri Docti passim, & expendere conati sunt: magis ut accusarent, quàm corrigerent, ingenioſi. Agnitum esse, id jam nobis satis, ut corrigi possit. Agnitum vel maximè ab eo, qui & accusare, & corrigere potuit, Scriptor Historiâ Indicâ Clarus, IOSEPHVS ACOSTA, & ex eâ Societate Theologus, quæ & ipsa novum eruditione suâ, sapientiâ, pietate Diem Veteri ac Novo Orbi dedit. Pauca verba; & Latina à me facta profecto, è libro III. cap. XXIII. *In Ortum Lusitani, in Occasum Hispani navigantes, occurſu impleverunt mutuo circulum, & quicquid Orbis longitudine suâ complectitur emensi, naturæ terminos quo tamen modo conjunxêre. Quæ profectò res observatione digna est: cùm alteri in Sinam & Japoniam, alteri ad Philippinas, proximas Sinæ insulas, penetrârint. Ab insula enim Luconia, quæ Philippinarum præcipua est, urbemque Manillam habet, Maicaum usque, quæ juxta Sinam insula quoque est, octoginta dumtaxat, vel centum millia ria marina numerantur. Hîc tamen, ubi tam exiguum loci intervallum, integri discri-*

Digitized by Google

men Diei esse, quis non miretur? Temporis enim calculo, cùm in Macao Solis, sive Dominicus est, Manilla Sabbatum computatur: & sic de reliqua hebdomadis serie. Quippè Macaënses & Sinenses die uno præcedunt: contrà, Philippinenses uno sequuntur. Quid attinet plura?

RADIVS III.

Lucrum damnumque temporis: illud cum Sole eunti, hoc adversus Solem.

A diversitate itineris, temporis quoque diversitas est. Tardiùs enim cum Sole, quod mirum est: citiùs adversùs Solem, quod bis mirum, proficiscimur: quemadmodum in Philonide, Alexandri Magni Cursore, Sicyone Elin, & hinc rursus Sicyonem provolante, Plinius, etsi exorbitans, notavit, lib. VII. cap. LXXI. Sole igitur obvio qui circuitum Orbis terrarum absolvunt, die uno Civili, sive horis XXIV. dimensionem temporis anticipant: qui cùm Sole, uno remorantur. Hispani quidem alterum quasi semissem globi, ductu sideris: Lusitani alterum, eidem obluctantes, confecerant. Illi compendio horarum XII. hi dispendio, toto hic omninò

à se

à se invicem Die remoti, cùm iisdem in locis versarentur: & maris postliminio sibi redditi, cùm totam quasi naturæ molem dimidiatâ enavigassent. Compendium, Dispendiumque voco: quia qui in Occasum tendunt, longiores aliquantò, quàm si quiescant, Dies singulos faciunt: qui in Ortum, breviores. Atque hæc productio νυκχθημέρου, sive lucis & tenebrarum; imò hæc contractio, exigua quotidie, & itineris mensurâ sive modo varia: semunciâ tamen circuli, sive partibus XV. horam unam; toto circulo Diem includit. Hinc etiam, non mutari, sed mutatum esse curiosi deprehendunt, nec nisi Orbe, quacumque tandem ratione, completo: quod temporis secretum navigatione Magellanicâ, anno ∞. IↃ. XXII. navis Victoria, in portum Hispali vicinum invecta, primùm aperuit. Quippe cùm octavum Eid. Septembris, sive Saturni adferret, septimum, sive Solis invenit: quo quidem tum calculo ad senos hebdomas dies contracta est. Contracta deinceps, quotiescumque aliæ & aliæ naves Orbis iter eâdem Solis semitâ cum lucro peregerunt: ut contrà damnum navigationis corrigi usurâ temporis potuit, ad octonos hebdomadem dies extendendo.

RADIVS IV.

Dierum confusio, Sacrorum & Commerciorum prævaricatio.

HISPANI quidem semissem suum cum Sole, & suum Lusitani adversus Solem emensi, quo lucro, quóve navigetur damno, scire poterant. Dies, collato utrimque spatio, qui dimidiatus, totus apparuit: & ab Indis, prout obnoxii erant, diverso in Ephemerides calculo receptus. Distant adhuc tempore, qui loco proximi aut vicini; & in eodem mari, toto quasi Orbe divelluntur. Hinc verò & Sacra, & Commercia, & ipsam Temporis rationem perturbari, quis non videt? Et Sacrâ quidem, quia nec eadem, nec eodem ubique die, diductis in diversum colentium animis, neque concordiæ sanctitatem, neque constantiæ majestatem servant: restituenda, ut verè Sacra, verè, & sub uno ac summo Capite Catholica sint, iisdemque sub Rege Catholico Fastis celebrentur. Commercia, quia diversâ temporis notâ ad tabulas & kalendarium referuntur, cespitent necessum est. Quæ rationum veritas, nummorum securitas, negotiorum facilitas,

Digitized by Google

facilitas ac fides, ubi morosiùs de die inter emptorem & venditorem, quàm de pretio convenit? Vt hoc certum sit, alius ille & incertus semper erit. Tempus denique ipsum, tempus quodammodò non est, quia dubium; quia ordine dierum, & sic hebdomadum, mensium, annorum destitutum. Sed bene est: solam hæc quia Indiam confusio & prævaricatio occupat: tolli promptiùs poterit. India verò est, quicquid appellationis compendio in Oriente vel olim notum, vel nuper detectum: quamvis ad universum reverà spectet Orbem, quicquid in parte ejus, & circa Diem, qui mensurat Orbem, turbatur.

RADIVS V.

Vna sub uno Rege Religionis ratio, unam temporis exigit.

DE India agimus: sed unum nomen, uniusque maris insulæ unam & eandem, sub eodem Rege ac Domino, unius ubique auctoritatem Ecclesiæ asserente, poscunt Fastorum ac Festorum legem, unam tesseram, unam normam, quâ diversitas omnis, imò deformitas emendetur; quâ, ne plura dicam, esse desinat, quicquid

Digitized by Google

à pace Christiana alienum est. Aliquando bella hîc erant: feliciter deinde, ac bono Religionis composita. Verumenimverò, quamdiu dicrum discordia supercst, animorum adhuc videntur dissidia foveri; adhuc pugnare, qui bonâ fide coaluerunt. Armorum memoriam tempora retinent, quia aliter Hispanis, aliter Lusitanis supputantur. Vnus verò, uti dixi, gentis utriusque Rex est, unus Deus, unus Pontifex, qui Deum in terris repræsentat; unus quoque idemque quotidie Dies sit. Vna sanè sub eodem Rege ab eodem Deo, & Vicario Dei, Religio diversos esse Fastos non sinit. Quid sanctius Paschæ solennitate? uno à Christianis omnibus eodemque Die celebrandam esse, auctoritas Ecclesiæ præcipit. Decretum Concilii Nicæni, iisdémque verbis Arelatensis propono: *Statuimus, ut uno Die & tempore per omnem Orbem Pascha observetur.* Item Carthaginensis: *Pascha solemniter uno Die & tempore celebrandum.* Quid igitur? Alius hîc, bone Deus! ac penitus distinctus est: alio & distincto latissima mortis devictæ mysteria recolantur. Quid si nullo quoque? & nulla aliquando ipsa sint? Iter ecce è Philippinis in insulam Macaum si instituam, dies unus increat necessum est. Potest igitur Do-

Digitized by Google

tur Dominicus, & ille ſummus interire. Sic inſtituo, tanquàm à Sabbato meo in Macaum veniam, & Paſcha inveniam: quo certè carebo. Sabbatum enim meum Macaënſibus Paſcha erat: Paſcha meum, quod quæro, jam apud coſdem tranſactum eſt. Vnus profectò dies, omnis hic dies eſt: quia enim unus diſcrepat, nullus idem eſt: quo calculo ipſum eſſe annum alium dixeris, omnia alia: alio namque modo numerari.

RADIVS VI.

Omittere Diem, quàm aſſumere ſatius.

INDE plerique, ut explicatum eſt, quia à Luſitanis rationem acceperunt temporis, die uno, velut gradu, præcunt: Philippinenſes, quia ab Hiſpanis, uno ſequuntur: utri utris cedent? Hinc eximendo unum, an illi inſerendo? Imò utri utris accedent? Hinc prolato velut veſtigio, an illi retracto? Natura hîc, Ratio, Neceſſitas examinanda eſt, tergemina rerum omnium regula; ut quid prima dictet, ſecunda moneat, tertia urgeat, ſequamur. Non poterit autem à tribus illis Decretum Majeſtatis tuæ abire: non poterunt non amplecti Decretum populi, quod facile, utile, ſalutare

Digitized by Google

salutare intelligent; quia tuum, quia tui. Hac felicitate Indi sunt; sed vel maximè Philippinenses, qui ad obsequium ipsam quoque appellationem adferunt. Ergò excludent Diem unum, si Regi id suo placere intelligent. Excludent, ut ad se quoque emendati gloriam temporis trahant, cujus liberales erunt. Excludent, ne reliquis minores sint, ac sequi videantur. Loco præire nónne ad prærogativam dignitatis facit? etiam tempore. Dies ille potior, qui prior est; & aliquid sibi juris in rebus solet Civilibus vindicare. Ætas ipsa hominis hoc censetur discrimine; ut qui senior, dignior ubique sit, quamvis exiguo temporis intervallo præveftat. In geminis ipsis, uno quasi partu in lucem productis, majorem natu, aut minorem Dies unus, imò hora una facit, & tanquàm menses computentur: quamvis existiment nonnulli, juniorem partu, priorem generatione esse. Si rectè calculum ponimus: producere, quàm referre gradum procliviùs est, eximere diem, quàm inferere: quemadmodum à præsenti in futurum præcipiti omnia lege abeunt, nihil in præteritum redit. Alibi lucrum in pretio est; damnum temporis hîc pro lucro erit. Reddi etiam fas, quicquid præter modum, & mero casu usurpatur.

In no-

Digitized by Google

In novas qui ab Occidente insulas suum prius diem attulêre, jus suum tempore stabiliunt: Lusitani sunt. Qui secuti ab Oriente, quidni invenire diem malint, quàm inferre? ideo enim secuti; quidni mutare, si intulerint? Hispani sunt. Illi in suo erant Orbe: hi, quia è Novo accesserant, novi ipsi & peregrini poterant haberi. Sanè in Oriente, tanquàm diei fonte, insulæ Philippinæ sunt: tollant diem unum, ne Occidentem faciant.

RADIUS VII.

Aut sola omittent Diem unum Philippinæ, aut universus cogetur Orbis assumere.

SED necessitatem, pondere suo urgentem, quis rejiciat? Non possunt profectò reliqui mutare Fastos Indi, nisi ut universus simul Orbis mutet, quâ nulla gravior perturbatio est. Etenim ab Oriente in Occidentem paullatim Dies propagatur: & qualem Indi habent, mox Asiatici, Africani, Europæi accipiunt, de manu, ut sic dicam, in manum. Ipsa tandem cogatur etiam America geminare suum, ut paria cæteris faciat. Gens ut mirum gentem sequitur, populus populum, tanquàm omnis unus sit: Dies enim unus est, qui

Digitized by Google

omnem, tanquam unum, toto circulo peregrinè. Et ponamus aliquid incommodi esse: minus erit, si paucæ tolerent Insulæ, quod ubique grave, si totum errore ac confusione Orbem liberent. Paucæ illæ Philippinæ sunt: Orbis est, quicquid præter hasce computatur.

RADIVS. VIII.

Omittendi Diei modus, Nomine, Numero, Litterâ expensus.

EXæquandam esse rationem temporis, & solis quidem Philippinensibus, satis superque dictum. Modus supereſt, sed facilis, & suâ se quasi sponte insinuans; quem brevitet nunc simpliciterque assigno. De Die tollendo agitur: in Die autem & Nomen, & Numerum, & Litteram consideramus; Quis sit, Quotus sit, & quo in Fastis signo. Nomen à Planetis olim sumptum, serò ad Romanos, ubique obtenturus, transiit. Numerus Nonis, Eidibus, Kalendis constabat: posteà, irruentibus Barbaris, simplici per dierum augmenta serie extendi cœpit: quasi Romani jam Romani non essent. Nota denique illis quidem octo, Nundinarum causâ: Christianis septem, ad So-

Digitized by Google

ad Solem in laterculo hebdomadis distinguendum. Vt igitur Dies unus pereat, transmisso & Nomine unius, & Numero, & Litterâ, in proximum producendus erit calculus: cura præcipua, ut aptissimus mutationi huic annus seligatur. Annum vel Simplicem, vel Bissextilem habemus: illum diebus CCC.LXV. & horis VI. computatum: hunc CCCLXVI. & quarto quoque loco. Sex illæ horæ quater sumptæ Diem constituunt, qui Intercalaris est, & post septimum Kalend. Martii collocatur. *Sextus* enim, ut cum Iurisconsulto loquar, *Kalendis* est, nec alius esse potuit. Sextus item, qui sequitur, & anteà fuerat: quemadmodum annus ipse à Bis sexto, Bissextilis. Sed Fasti vulgares, postquàm sine Nonis, Eidibus, Kalendis scribi cœperunt, Diem Intercalarem terminum esse Februarii voluerunt: idoneum sic fortassis, Confusioni, de quâ agimus, tollendæ, si tam facilè locum Bissexti quàm numerum, nomen quàm Litteram Hemerologistæ nostri moveant ac mutent. Sed fallit numerus, qui ad dies viginti novem expansus, hoc loco Intercalarem collocat: fallit Littera, quæ post sextum Kalendarum elisa, reliquas simplici ordine ad finem usque mensis, in D. tanquàm Intercalarem desi-

 nentis,

nentis, extendit. Annon rectiùs quoque, ut bis Sextus Kalendis est, bis vigesimus quartus, monente quasi FF gemellâ, computetur?

RADIVS IX.

Modi exemplum in Anno Bissextili.

QVOD felix, faustum, fortunatumque sit, Annum propono CHRISTI ✠. IↃↃ. XL. Bissextilem CCCC. X. sed in Simplicem, vel potiùs in Semelsextilem, ut sic loquar, Philippinensibus commutandum: imò quod felix, faustum, fortunatumque sit, Diem propono Intercalarem, sive Bissextum, quo sublato novam annus formam induat, Simplicem è Bissextili: Diem, ut δακτυλοδείκτως agam, qui priori loco Kalendarum nomine ac numero Sextus est, solitusque in Fastis Litterâ F, etiam priore insigniri. Trahet Dies Litteram, & Littera Diem; ut Septem Sex fiant, & sine Venere Intercalarius hebdomadis circulus impleatur: Mensis vigiati octo diebus. Vigesimus ecce tertius Februarii (ut inde ordiar) sive septimus Kal. Martii, apud reliquos Indos hoc anno Iovis erit, Cineralia proximè subsequens. Litterâ E: at hic idem apud Philippinenses in vigesimum

Digitized by Google

gesimum secundum, sive VIII. Kal. id est Mercurii, atque ipsa Cineralia incidet, Litterâ D. Item, Vigesimus quartus, sive Sextus Kal. Intercalaris, apud reliquos Indos Veneris erit, Litterâ F. pariter Intercalari: apud Philippinenses verò in vigesimum tertium, sive VII. Kal. id est Iovis, qui proximum Veneris vel includet, vel elidet, Litterâ E. Præterea, vigesimus quinctus, sive sextus Kal. verus, apud reliquos Indos Sabbatum erit, & Matthiæ Apostolo sacer, Litterâ F, non Intercalari: apud Philippinenses in vigesimum quartum, sive VI. Kal. eidem quoq; Divo sacer incidet, Litterâ F. etiam non Intercalari. Sic deinde Vigesimus sextus, sive quinctus Kal. apud reliquos Indos Dominica erit Quadragesima, Litterâ G: apud Philippinenses Vigesimus quinctus, sive Quinctus Kal. eadem Dominica, & eâdem Litterâ G. Sed XXVI. quoque, XXVII. XXVIII. XXIX. reliquorum Indorum, si cum XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. Philippinensium componantur, Kalendis, Diebus, Litteris pariles erunt, omnemque reliquam inæqualitatem tollent. Ordo in tabella.

Digitized by Google

FEBRVARIVS

ANNO M. DC. XL. BISSEXTILIS.

CALCVLVS ORBIS, PHILIPPINARVM.

1	d	K. F.	Merc.		*	*	*	*	*
2	e	IV. N.	Iovis.	Purific.	1	d	K. F.	Merc.	
3	f	III.	Ven.		2	e	IV. N.	Iovis.	Purific.
4	g	Prid.	Sabb.		3	f	III.	Ven.	
5	A	Non.	Dom.	Septuag.	4	g	Prid.	Sabb.	
6	b	VIII. Eid.	Lun.		5	A	Non.	Dom.	Septuag.
7	c	VII.	Mart.		6	b	VIII. Eid.	Lun.	
8	d	VI.	Merc.		7	c	VII.	Mart.	
9	e	V.	Iovis.		8	d	VI.	Merc.	
10	f	IV.	Ven.		9	e	V.	Iovis.	
11	g	III.	Sabb.		10	f	IV.	Ven.	
12	A	Prid.	Dom.	Sexag.	11	g	III.	Sabb.	
13	b	Eid.	Lun.		12	A	Prid.	Dom.	Sexag.
14	c	XVI. K. M.	Mart.		13	b	Eid.	Lun.	
15	d	XV.	Merc.		14	c	XVI. K. M.	Mart.	
16	e	XIV.	Iovis.		15	d	XV.	Merc.	
17	f	XIII.	Ven.		16	e	XIV.	Iovis.	
18	g	XII.	Sabb.		17	f	XIII.	Ven.	
19	A	XI.	Dom.	Quinquag.	18	g	XII.	Sabb.	
20	b	X.	Lun.		19	A	XI.	Dom.	Quinquag.
21	c	IX.	Mart.		20	b	X.	Lun.	
22	d	VIII.	Merc.	Cin. Cath. P.	21	c	IX.	Mart.	
23	e	VII.	Iovis.		22	d	VIII.	Merc.	Cin. Cath. P.
24	f	VI.	Vener.	Vig.	23	e	VII.	Io. & Ven	
25	f	VI.	Sabb.	Matt. Apost.	24	f	VI.	Sabb.	Mat. Apost.
26	G	V.	Dom.	Quadrag.	25	G	V.	Dom.	Quadrag.
27	a	IV.	Lun.		26	a	IV.	Lun.	
28	b	III.	Mart.		27	b	III.	Mart.	
29	c	Prid.	Merc.	Icj. IV. Tép.	28	c	Prid.	Merc.	Icj. IV Tép.

Digitized by Google

RADIVS X.

Ab Vno Die omnium concordia.

RETINEBVNT hac quidem ratione Annum suum Biſextilem reliqui Indiæ Orbiſque populi: mutabit unus, ut verè Indus ſit; ut verè Orbis, & potiſſimùm Orientis indigena ac civis. Commutabit, inquam, Annum, ut componat, ejecto, ut ſic dicam, ex ærario temporis Die, quem ſpurium ſive adulterinum licuit appellare. An leniùs? Peregrinum, vitioſum, navigationis prævaricatione invectum. Ab hoc uno pendent reliqui. Sed ſi unus hic reſcindatur, nullo quidem negotio cum Macaënſibus, Sinenſibus, Japoniis, Moluccenſibus, cæteriſque Indiæ populis Faſtos ſuos Philippinenſes æquaturi, rectam ſibi & correctam temporis ſemitam aperient; errore quidem Orbem liberabunt.

RADIVS XI.

Omnis Annus vice Biſſextilis: omnis Dies vice Intercalaris.

QVÆ dico, ab Anno etiam quocumque exigas, non minùs Simplici, quàm Biſextili, ſi vel ſolis ille hebdomadibus quinquaginta

Digitized by Google

ginta duabus, rejecto Die uno; vel certè hebdomas una aliqua sex Diebus describatur. Summi hæc Pontificis auctoritate cuia defenda est: is cùm Fastos Orbis Christiani regat, capiet Diem, qui sine damno Sacrorum pereat, & tamen conservetur: mensem, qui carere Die uno poterit, & plenus esse: annum, qui justo in se & vestigia sua orbe revolvatur, quamvis deficiat. Sed huc redeo, & Bissextilem, tanquàm aptissimum Dierum Diorthôsi seligo, tanquàm opportunum amplector. Hunc infaustum esse plerique credunt: faustum faciemus. Breviorem quoque; sed eâ duntaxat parte, ubi longior fortassis graviorque non nullis, quia jejunii religione adstrictus. Tolletur Dies unus, tolletur simul onus Diei unius; cùm suâ cæteri vicem severitate suppleant, & Sancti appellentur. Sed unus hîc desinet esse, qui aliis quoque in annis non est: Intercalaris & advena, ut negligi possit; mali etiam ominis, quia Intercalaris. Quid multis? Virum hunc demi sibi Philippinenses patientur, & gravissimam temporis hallucinationem proscribent. Hoc veluti tributi corollarium Regi suo persolvant; & eos quoque credemus Indos esse.

RADIVS

RADIVS XI

Finis Operis principium Diei ab Occidente discern

RELIQVVM est, REX MA in insulis Philippinis ordinat Principium Diei, exæquandis quoq; sarium, accipiat. Principium, sed com nibus, quod suum singuli propriumque cuitu habent. Principium, sed in mari tuo, Philippico, lato æquoris spatio Americam & Indiam æstuante, collocandum. Princip quo & Finis contineatur; verus, & ab ipsa dammodò natura insinuatus Orientis & O dentis terminus; Longitudinum (quemadm dum à MICHAELE FLORENTIO LANGREN admirandi ingenii & industriæ Mathematic nova & incredibili corrigi observatione poterunt) radix ac limes. Denique Principium, quod, frustrà & in vanum adhuc allatrante è tenebris suis homine Vrbinate, conatus Circulo nuper fui VRBANIANO, sive Archemerino designare. Hunc igitur simul nunc offero, novum post Coronam velut Orbis Diadema. Offero, & quia

Dies unus materia navigationis ercum Sole eunti, verciorum præ- temporis aut uni- Litterâ In-

ginta duabus orum Principi, cujus nomen pieta-
mas una aliqu pavi, placuit, Majestati tuæ com-
hæc Pontificis arium esse, magnorum sanè Viro-
cùm Fastos Orb anifestum est: sed ad gloriam
qui sine damno cam facere, testimonio tempo-
servetur: mer Locum igitur ille suum auctori-
& plenus ess eat, & mundi non poterunt ma-
sua orbe r homines à tua separare: imò obti-
redeo, & vo nunc etiam beneficio, qui in Occi-
rum D emique erant mortalium Philippinen-
amp er primos, & in Oriente futuri sunt. Deus
dun it, & à TE perfici Orbem terrarum volet;
eâ d n ut felicem facias, ad pacem & tranquilli-
nor n vocas. Vocabis tempora, ut tua sint: &
let à cælum terramque dierum concordiâ com-
ci nes, ὡς θεὸς ἐξ ἀνθρώπων, id est *humanus qui-*
m Deus hominibus eris; vero elogio, quod
omani olim Imperii fuit, ostensurus, POTEN-
TIAM TVAM MVNDI FLVCTVANTIS ANCHORAM
ESSE, SALVTEM, SECVRITATEM.

FINIS.

RADIO-

Digitized by Google

RADIORVM
INDEX.

RADIVS I. *Orbis totus magnitudo Regis : Dies unus materia Operis : Opus Corona.*

II. *In eodem apud Indos Die duæ navigationum errore Dies.*

III. *Lucrum damnumq; temporis : illud cum Sole eunti, hoc adversus Solem.*

IV. *Dierum confusio, Sacrorum & Commerciorum prævaricatio.*

V. *Vna sub uno Rege Religionis ratio, unam temporis exigit.*

VI. *Omittere Diem, quàm assumere satius.*

VII. *Aut sola omittent Diem unum Philippinæ, aut universus cogetur Orbis assumere.*

VIII. *Omittendi Diei modus, Nomine, Numero, Litterâ expensus.*

IX. *Modi exemplum in anno Bissextili.*

X. *Ab uno Die omnium concordia.*

XI. *Omnis annus vice Bissextilis, omnis Dies vice Intercalaris.*

XII. *Finis Operis Principium Diei, quo Oriens ab Occidente discernatur.*

Digitized by Google

APPROBATIO.

CLarissimi & Ampl. V. E. Puteani Liber De Bisexto, Auctoris sui Clarissimo ingenio & eruditione dignus est. Clarè ac dilucidè implicata explicat, confusa digerit, nec solùm veterem novamque intercalandi rationem docet, sed multa passim, ad fusca quædam, nec ab omnibus etiam doctis intelligenda, veterum Scriptorum illuminanda, spargit. Lucem ergò publicam ipse meretur, qui aliis donat. Meretur & Appendix, sive Dierum apud Indos DIORTHOSIS, quæ in Orbe terrarum necessaria est, & CORONÆ titulum rectè sustinet.

Lovanii XXII. Augusti
M. DC. XXXVI.

LIB. FROMONDVS S. Th.
Doctor & Prof.

Idem etiam Censet
ANT. LOVERIVS S. T. L.
Apost. & Reg. Libror. Censor.

CVM PRIVILEGIO REGIO,

Consiliorum Sanctioris & Brabantiæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google